


1035

IOBUS
Divinæ Providentiæ Theatrum

à

R.P. HIEREMIA DREXELIO.



Antverpiæ.

Apud Vid. Ioann Cnobbari. A°. 1655

SERENISSIMO PRINCIPI
ac
Domino Domino

ALBERTO

COMITI PALATINO RHENI, UTRIUSQUE BAVARIÆ, & superioris Palatinatûs Duci, Landgravio in Leuchtenberg, Electoratûs Boici Administratori, &c.

DOMINO CLEMENTISSIMO.



ADucentis annis quotquot Boici sanguinis Heroas legimus, cognomines Tibi, princeps Serenissime; omnes legimus singulari aliqua virtute insignitos; vel enim à PIETATE, SAPIENTIAVE celebres, vel certè præ pluribus aliis MAGNANIMI fuisse perhibentur. Quæ nomenclaturæ ratio, ne in Serenitate Tua interrumpatur: ALBERTUM: Te deinceps PATIENTEM salutabimus. Nam ut aliæ hujusce inscriptionis causæ desint, instar

 plu-

plurimarum esse potest, quod subjicimus.

Societas nostra quindecim abhinc annis apud Serenitatem Tuam nomen contraxit, quod hactenus, cum dudum potuissemus, ex ignorantia tamen cessavimus expungere: & Patientia Serenitatis Tuæ id ipsum urgere. P. Hieremias Drexelius, felicis memoriæ, posteaquam varios utriusque statûs Principes imperii, lucubrationibus suis devincire nobis conatus est; anno trigesimo octavo Tergeminis etiam Filiis Serenitatis Tuæ Aurifodinam aperuit; in cujus dedicatione, hæc ferè in verba desiit præfari. *Ad Serenissimi Parentis manus & genua scriptionem aliam suo tempore licebit, spero, deponere.* Et paulò post: *Hoc animi non ingrati specimen jam pridem exhibere debuissem primis benefactoribus nostris, æterna in Boicos Principes observantia devinctus.*

En tibi, disertissimam Authoris

ris obligationem! At, ubi fides promissi? Scriptio illa alia ubi hæret? quò devenit? Poterat vir bonus pro liberato haberi, eò quòd illo ipso anno, quo spem obsequii sui fecerat ad plures sit evocatus; nisi in parato reliquisset, unde Creditoribus fieri satis potuisset. Sena, septenáve opusculorum ad prælum elaborata reliquit; quæ omnia Principibus viris deinceps consecrata sunt, præteritâ Serenitate Tuâ; quæ Sibi primas omnium absque ullius injuria, si non alio ex nomine, certè ex promissione vendicasset.

Sed *Patientiæ* id Tuæ debemus, ô Princeps, quòd interea temporis, neq; jus tuum rigidius exegeris; neque affectum Paternum in debitores, seu ignaros, seu obliviosos vel minimum immutaris: *Patientiæ* vix alio dignè scripto remunerandæ; quàm historiâ ipsius *Magistri Patientiæ*: Historiâ, inquam IOBI; quæ cùm sit partus omnium postremus, Au-

thori morituro pro Benjamino, pro *filio* fuit *doloris*. Quem si Serenitas Tua pro more suo *Patienter* dignata fuerit tollere, (Quæ proximum à primo merebatur) profectò nos beneficio sibi novo obstrinxerit, & suam Orbi nostro virtutem singulari hoc facto etiam atque etiam commendârit. Quamquam & isthuic, licet novissimo libello, sua non defuerit gratia, hoc ipso ex capite, quòd alium, posteriorem se, non relinquat; ut dici possit: Drexelium in officiis ALBERTI PATIENTIS scribere desiisse, aut scribendo defecisse. Vale, Princeps Serenissime; &, qui virtutem Jobi æmularis, faxit Deus, ejusdem longævitatem communi bono quoque imiteris. Neoburgi 20. Apr. 1653.

Serénitati Tuæ

Devotissimum

Collegium Soc: JESU.

Ad Lectorem.

NVnc demum fidem suam exolverit P. Hieremias Drexelius, amice Lector, qui plura per P. Philippum Allegambe non promiserat, tametsi altero tanto plura, luce digna relinquat. Nam quidquid triginta opusculis accepisti, duntaxat illud est, quod per Adventum & Quadragesimam ab Anno 1616. ad annum 1633. usque dixit: reliquarum concionum, quas festis & Dominicis per annum diebus, spatio viginti trium annorum habuit, nihil omnino vidisti; neque spes est thesauri illius aliquando in lucem proferendi: eò quòd supplendum de alieno foret, quod illis duobus temporibus per libellos editos subtractum est. (Materias enim semel cœptas, præteritâ Euangeliorum explicatione, continuabat tam festîs quàm profestis diebus, quoad illas ad calcem deduxisset.) Nemo autem facile, viri reverentiâ, in se susceperit sufficere, quod desideratur; quando etiam artifices religione ducti, neque prece pretióve adduci possunt, ut manum operi admoveant alieno: Non quilibet, tametsi vellet, cum decoro defectum suppleturus esset.

 Dixe-

Dixerim enim facilius esse, vulpinam adsuere Leoninæ, quàm stylum stylo, conceptus conceptibus Drexelianis absque deformitate, notabilique discrimine attemperare. Proinde præsentibus contentus, amice Lector, fruere; ac præter Funebria, (fortassis) quæ sibi à pluribus annis author ipse paraverat, & Piorum hominum volvuntur manibus, si superioribus publicanda videbuntur; ulterius nihil expectes. Vale.

I N-

INDEX CAPITUM.

Cap. IX.

Quo animo ſecundum nuntium acceperit: nobiſque perferendæ ſint humanarum rerum jacturæ.

Cap. X.

Tertius Iobi nuntius inducitur; & impatientiâ mortalium ſugillata Numinis providentia commendatur.

Cap. XI.

Nuntius quartus liberorum interitum docet Iobum: Ille nos tolerantiam in funeribus amicorum.

Cap. XII.

Generoſiſſimus Iobi animus è triplici maximè dicto perſpicitur.

Cap. XIII.

Iobi virtus à Satana per calumniam elevata, ulterius exercenda datur.

Cap. XIV.

Deus voluntatis ſuæ executores habet, tam bonos quam improbos ſpiritus: Iobi corpus ſatanæ committitur affligendum.

Cap.

Cap. XV.
Morborum syllabus, acrimonia & diuturnus describitur.

Cap. XVI.
Altera morborum dodecas, quibus Iob exercitatus est.

Cap. XVII.
Quomodo Iobus tandem à Palatio ad Fimetum usque, devenerit.

Cap. XVIII.
Ultimus à Diabolo, & validissimus aries admovetur Iobo, uxor: & generosissimè sustinetur, gloriosissimè triumphatur.

Cap. XIX.
Iob Beatus & non Elatus.

IN-

INDEX RERUM.

A.

B.

C.

D.

F. Feli-

INDEX.

L. Laza-

239

INDEX.

L.

M.

N.

O.

P. Pa-

P.

R.

S.

T.

V.

Vermes



JOBUS
DIVINÆ PROVIDENTIÆ THEATRUM.

CAPUT I.

Oeconomia operis instituitur, ejusque rationes adferuntur.



Ccleſiaſtes Orbis, divinus Paulus de ſe ipſo, ceteriſque Domini ſectatoribus: Spectaculum facti ſumus, inquit, Mundo, Angelis & hominibus, *a* Ego, ait, & omnes imitatores Chriſti, varios habemus ſpectatores, quadruplex ferè diſcrimine. Primi ſunt homines improbi, Mundi aſſeclæ & alumni qui non alio modo nos ſpectant, quam quo hiſtriones, mimi, Geſticulatores, Beſtiarij, Præſtigiatores ſpectari ſolent, qui aut Theatrum recreant, aut cum beſtiis commiſſi Amphitheatrum exhilarant. Alteri ſunt Angeli omneſque cælites qui ex alto noſtras intuentur luctas. Tertii ſunt Diaboli, apoſtatæ Angeli, qui noſtris paſcuntur miſeriis, damnis & funeribus & ſuppliciis noſtris: quemadmodum beatæ

A men-

a 1 *Cor.* 4. *v.* 9.

mentes nostro delectantur profectu, dolent jacturis, venerantur virtutem. Quarti spectatores sunt bonæ mentis homines, qui fortitudinis, fidei, mansuetudinis, patientiæ ac constantiæ animantur exemplis. Ergo spectaculum, vel, ut Hieronymus interpretatur, Theatrum facti sumus, Mundo, Angelis, & hominib.

Princeps Hussæus Job, spectaculum admirandum, theatrum factus amplissimum Mundo, Angelis, hominibus, spectatores habuit plurimos, sed diversissimos: erant qui gratularentur illius calamitatibus, erant qui eisdem tristarentur. Ego ad istud spectaculi Lectores meos invitans cum Venusino vate pronuntio: *Spectatum admissi* fletum *teneatis amici.* *a* Consensus & fletus in meditatione Christi cruciatuum affectus bonus est, sed non præcipuus: ita neque hîc lacrimas solas poscimus, affectiones & animi motus quærimus nobiliores

Nos igitur sessum recipiamus, & silentio spectemus mirabile, ter mirabile spectaculum; cui simile non visum, non auditum unquam, ausim dice-

a *Horat. l. de arte poët. v. 5. Risum teneatis.*

dicere, vix ulli credibile videri, in hac Jobi historiâ, tantum latere miri. Hîc sanè dolores, tentationes, angores incredibiles. Non minus tamen incredibilis patientia, fortitudo & constantia fuit tolerantissimi Jobi. Spectaculum, sed & theatrum factus est Jobus. Agedum, mi optime Lector, istud tibi theatrum hoc capite depingam, tres illius primarias partes monstraturus. Ita primo velut aspectu scriptionis ordinem licebit intueri.

Priscis Romanis versatilia erant theatra, ita libramentis, æquipondiis ac rotis facta, ut subitò verti ac mutari potuerint; nam aliam induta faciem, quæ priùs arboreta & silvulas exhibebant, jam circumacta domos & urbes repræsentabant. Atque si spectatores antè habuissent ex adverso solem orientem, theatro verso haberent occidentem. Tota Jobi historia theatrum est versatile, jam opes, jam inopia, modò luctus, modò gaudia, nunc prosperitas, nunc calamitas extrema cernitur. Theatrum prorsus versatile, sed theatrum divinæ providentiæ.

Theatri hujus tres omnino partes aſſignamus:

Prima eſt, *Job* Felix, *&* Continens.
Secunda, *Job* Calamitoſus, *&* Patiens.
Tertia, *Job* Beatus, *&* non elatus.

Hæc totius ſcriptionis partitio, hic ordo eſt. Et in primâ quidem parte Iobum Felicem, ſed tamen Continentem ante oculos ſtatuemus. Hîc variam Jobi opulentiam, dignitates, encomia, inſcriptiones & titulos explicabimus. Ordine dicetur, Job doctus; Job honoratus, Job ſanctus, &c. His elogiis Felicitatem Jobi ſimul & Continentiam in lucem dabimus.

Parte verò alterâ exponendum quam ſubitâ mutatione Jobus è felici factus ſit extremè calamitoſus, pauper, inhonorus, undique & undique afflictiſſimus: Diabolus omnes crudelitatis ſuæ vires in eum exeruit, & omnibus eum ſuppliciis, modò vitam non eriperet, fatigavit.

In parte tertiâ Jobi virtutes referemus, ſingulas ſeorſim; addemus geminatam illius opulentiam, & omnia fenore ampliſſimo reſtituta. Poſt tot clades verè beatus fuit Iobus,

bus, ſed tamen non elatus, beatus inquam, fuit, rerum omnium aſſluentiâ eâque beatitudine, quæ extra beatitudinem cæleſtem eſſe poteſt. In Dei ac naturæ leges ita juravit, ut ab eis nec latum quidem unguem diverſus abierit, neque cum optimè, neque cum peſſimè haberet, tam proſperitatis quam calamitatis patiens. In utraque fortunâ Deo ſemper fideliſſimus. Erat Job, ut vetus eſt verbum, omnium horarum homo, compoſitus ad omnes caſus, vir in quovis loco paratus. *a* Erat Job notandi & natandi peritiſſimus. Priſci de homine ignaro & rudi dicebant; Notare non didicit, nec Natare ſcit; expers artium eſt, idcirco vilioribus occupandus. Jobus veriſſimè Notare didicit & Natare, diſciplinarum liberalium & literarum inſigniter gnarus. Sed & natator fuit ſcientiſſimus, hoc eſt, ærumnarum omnium fortiſſimus triumphator. Omnem Diaboli vim expunxit tolerando. Ita mare trajecit ſalſiſſimum natando, calamitatum omnium non ſolùm

a Ein Mann ſo in alle Sättel gerecht.

victor sed & calamitosorum præceptor ac doctor excellentissimus. Revera nemo sanus tam sanctis præceptionib. imbuerit ægrotum, atq; Job ægritudine multiplici & summâ oppressus tam sanos imbuit, quã ægros.

Tres igitur partes, quod optimè notari velim, habet hæc historia. 1. Jobi Felicitatem & Continentiam. 2. Jobi Calamitates & Patientiam. 3. Jobi beatitudinem terrenam, & submissionem.

Hanc porrò historiam propriè vocemus Comico-Tragico-Comœdiam. Nam initium felix ac lætum; amœnissime cum Jobo lusit divina providentiâ. Sed medium fuit tristissimum, Tragœdia sanè horribilissima. Sed inde iterum nata est Comœdia lætissima, felicissimus rerum exitus; restituti liberi, facultates omnes duplò majores redditæ.

Videte ut theatrum hoc divina providentia versaverit, è læto in triste, sed rursus è tristi in lætissimum finem.

Hæc in antecessum probè cepisse plurimum spectatorem juverit. Sed, ut vel ipsis oculis fidem faciamus,

triplex hoc theatrum penicillo ſic efformamus.

Pars theatri prima meros habet hortos & amœna tempe: ſalientes in iis fonticuli, & docilium aquarum artificia. a Fidium ac vocum concentus, ſymphonia hîc ſuaviſſima, cultiſſimus hîc paradiſus.

Pars theatri altera quadruplicem offert picturam. 1. Flammantem Orcum Diabolis refertiſſimum. 2. Mare furibundum præſentibus naufragiis infame ac truculentum. 3. Splendidæ domûs terribilem ruinam. 4. Incendium flammis latè graſſantibus horrendum.

Pars tertia theatri pictos habet triumphos, qui non flores ſolùm, ſed & pecuniam ſpargunt, quibus lætiſſimum applaudit cælum, & ridentia favent ſidera.

Quòd ſecunda pars theatri diverſas quatuor picturas repræſentet, inde eſt: Jobus quadruplex certamen ſubiit. Primum cum Satanâ & inferorum copiis; res clara. Alterum cum conjuge, quam ſævum mare deſignat. Tertium cum famulis, cum ſubditis,

a Waſſerwerck.

cum amicis colloquentibus, quos ruina domûs significat. Quartum cum Deo, qui ignis est comburens: Certe Iobus ipse de se: disputare, inquit, cum Deo cupio. a

Deinde in alterâ theatri parte quadruplex pictura quatuor illos mæstissimos commonstrat nuntios, quorum singuli gravissimè virum etiam cordatum potuissent percellere. Primus nunciabat boves & asinos omnes ab irruentibus Sabæis abactos & famulos occisos. Secundus vociferabatur omnes omnino oves, septem millia, de cælo fulminatas & consumptas. Vix iste finierat cùm advolavit tertius, qui Chaldæos camelorum abactores Iobo detulit. Hunc excepit quartus qui liberos omnes in domo fratris natu maximi ruinâ nunciavit obtritos. Hi nuntii tam luctuosi, vel virum ferreum in mærorem dare potuissent. At Iob incredibili pollens fortitudine, hæc omnia tam pacate tulit, ut omnibus his Nuntiis vix aliud respondèrit, quam illud generosissimum DEO GRATIAS. Factus est

a *Iob. c. 13. v. 3.*

est Iob ſpectaculum Mundo, Angelis, & hominibus.

Sed & alia eſt cauſſa cur ſecundæ partis theatrum quadruplici picturá inſignierimus. Quandoquidem jacturam fecit quadruplicem.

Prima fuit bonorum ac opum omnium. Nam re familiari comminutus, facultatibus omnibus exutus eſt. Vix enim teſtulam ex omni ſupellectile conſecutus eſt quâ ſaniem abſtergeret. Dura ſtrigilis, & vicem ſpongiæ male functa!

Altera fuit honoris ac dignitatum. Nam cujus ſoliū prius pœne omnes adorabant, ille ipſe demum in ſimeto compoſitus, amicorum calumniis lapidatus eſt. quem anteà locis omnibus aut obvia excipiebat ſella, aut comitabatur: eum jam hominum viliſſimi, quorum Parentes Iob cum canibus ſuis non poſuiſſet, *a* deridere ac conſpuere non verebantur.

Tertia jactura fuit decem liberorum atque charorum omnium. Hìc ſanè dici potuit: Iob ante ſuam mortem decies eſt mortuus, ſepultus decies in ſuis nimirum liberis. Iactu-

a *Iob. c.* 30. *v.* 1, & 10.

ram amicorum gravissimè sentiens Iobus: Fratres meos, inquit, longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti sunt mei. Inquilini domûs meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi & non respondit, ore proprio deprecabar illum. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, & quem maximè diligebam, aversatus est me. *a* Gravis pecuniæ jactura, gravior amicorum.

Quarta fuit valetudinis, nec enim uno tantùm ulcere, aut simplici morbo laborabat; merum erat ulcus, & supra viginti distinctis, immedicabilibus morbis afflictabatur. Neque hoc pauculis hebdomadibus aut mensibus, sed annis compluribus durabat, annis omnino septem. Spectaculum Iob factus est Mundo, Angelis, & hominibus.

Nostram omnem vitam consideramus? In theatro semper agimus, dum vivimus. Spectatores Diabolos Mun-

a *Iob. c. 19. v. 13. & seqq.*

Mundum, Angelos, probos improbosque homines habemus. In eo autem omnia ſunt ſita, non qualem perſonam quis agat, ſed illam, quam nactus eſt, quàm ſcite & cum decoro repræſentet. Auguſtus Imperator moriturus, amicis & optimatibus morientis lectulum cingentibus: Satiſne, inquit, commodè perſonam noſtram in hoc theatro egimus? commodiſſimè, aiebant illi. Ergo, ſubjungit Cæſar, Valete & plaudite. Cum dicto lectuli cortinam obduxit, & non multò poſt vitæ ſuæ fabulam clauſit. a Vetus Græcorum poëtarum dictum eſt: *Scena, omnis vita eſt: & jocus.* Quod Latini dicunt: *Vita Mimus.* Ludimus & ludimur. Demum omnes è Theatro ad ſilentûm domos diſcedimus.

Edmundus Campianus in Angliâ ob religionem extremo ſupplicio affectus, cùm jam fatales ſcalas inſiſteret; ad circumfuſam plebem breviter perorans hoc ipſum de ſe uſurpavit: Spectaculum facti ſumus Mundò, Angelis & hominibus.

Ro-

a *Sueton. l. 2. de Aug. Octav.*

Romana vidua Paula, femina nobilissima, quod Hieronymus in ejus epitaphio testatur, fastum omnem exuit, voluptatum omnium illecebras valere jussit, & rebus humanis nuntium remisit, & facultates suas omnes in egenos dispertiit, admirabili exemplo. Hæc molientem Paulam si vafer aliquis politicus conspexisset, hoc illi utique consilium suggessisset: Amplissima Domina, hæc quidem nimium peregrina est sanctimonia, extra decori orbitam abimus: multi te dicent cum ratione furere; in rebus omnibus moderata placent. Eamus medii & ibimus tutissimi, quid enim opus omnia omnino in egenos effundere? Servemus quod prosit posteris, & rectiùs serviemus Christo: Hæc catus dixerit politicus. At Paula propositi tenax: Theatrum, inquit, facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti, sed propter Christum, siquidem quæ stulta sunt Mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma Mundi elegit Deus., ut confundat fortia; & ignobilia Mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ

non

non-sunt, ut ea quæ sunt, destrueret. *a* Hæc in Orbe sibi spectacula Deus excitat.

Sed & Christus ipse in cruentâ trabe spectaculum factus est Patri, Angelis, & Mundo. Expressè Lucas: Et omnis turba eorum, inquit, qui simul aderant ad spectaculum istud. *b* Ideò Christus Patrem alloquitur, & de se ipso testatur: Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. *c* Hinc tria elicimus menti altiùs defigenda.

Primum est, salutis cura, & in rebus agendis accuratio. Quivis ipse sibi dicat: Spectaculum factus sum Mundo, & Angelis, & hominibus Quot enim oculorum centuriæ me unum respiciunt? Comœdiarum actor, qui sapit, ita secum ratiocinatur: Tria quatuorve millia spectatorum aut etiam plures, tam gestum ac vocem, quam memoriam, & actionem meam observant rigidè, nec meri sunt sutores & cerdones, nec meri sectores lignarii aut fabri ferrarii, sed homines eruditi ac primarii, qui olim etiam egerunt, sciuntque quid

a 1 *Cor.* 1. *v.* 27. b *Luc. c.* 23. *v.* 48. c *Ps.* 70. *v.* 7.

quid actorem deceat. Attendendum ergo mihi, ne memoria me destituat, ne gestus dedeceat, ne displiceat actio universa. Hoc actor sagax secum præmeditatur, & ad scenam se componit.

Actores sumus, quotquot in vivis sumus, & forsan brevi è theatro erit abeundum, hîc attentione opus & seriâ salutis curâ. Hanc supra modum Michæas ingerens: Indicabo, inquit, tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Judicio coercebis teipsum; misericordiâ complectèris alterum; sollicitudine piâ placabis Deum. Attende tibi; innumeri & suprà nos, & infrà nos sunt oculi, qui actiones nostras arbitrantur, præter hos unus est oculus cernens omnia, etiam intima & secretissima. Spectaculum facti sumus.

Alterum hîc observandum, ab Ascetis *Introversio* vocatur, quæ hominem vagum compellit, ut in seipsum descendat, mores suos & vitam inspiciat, Deum in animo suo quærat

& inveniat. Romanus ſapiens è Philoſophi litteris: Hæc ego non multis, inquit, ſed tibi; ſatis enim magnum alter alteri Theatrum ſumus.

a Quilibet bonæ mentis homo omnem animum ſuum convertat ad Deum. Quod vates Hebræus Ioël imperans divino juſſu: Convertimini ad me, inquit, in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. b Dicat quiſque ſibi: Ego theatrum ſum Deo, & quidem magnum, me enim curat, perinde ac ſi me ſolum ſuſceperit curandum; ergo & mihi ſat magnum erit theatrum Deus; & ego illum, perinde vt meos oculos, vt cor meum, vt mea omnia curabo. Hæc illa beata eſt introverſio, cum curis omnibus ſemotis Deo vacamus & nobis. Arcanum hoc & gaudiis plenum eſt theatrum in quo mutuis amoribus homini Deus, & homo ſpectaculum fit Deo.

Tertium eſt, *Animi ad bonum obfirmatio* Iuſtus Lipſius, de Amphitheatro diſſerens: Juxta Doveanam, inquit, Amphitheatrum eſt ex vno eodem-

a *Seneca epiſt. 7.*
b *Ioel. c. 2. v. 12.*

eodemque saxeo monte. Nimirum rupes unica in Amphitheatri formam excisa stabat. Vidi ego ipse meis oculis theatrum grande artificiosum, pulchrum, admirandum unà cum saxeo cælo, quod copiosos etiam spectatores tegeret à pluviis, quæ omnia excisa è rupe unicá. Talis rupes, theatrum tale Iob erat, quem nec aureæ fortunæ, nec calamitates summæ, nec gaudia nec luctus, nec valetndo nec morbus, nec homines nec Diaboli à cæptá pietate ac patientiâ potuerunt avertere. Homo sincerè probus in saxeum tale theatrum format seipsum, ut fiat Mundo, Angelis, hominibus spectaculum. Cor humanum & voluntas ita se in Deo & amore honesti potest fundare, ut nulla vis inferorum hanc molem possit evertere. Hebræus rex David hoc fundamento nixus: Iuravi, ait, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. En virum saxeum, en cautem Marpesiam, quæ nullis fluctibus quæ turbinibus & tempestatibus nullis quæ nullis rerum adversarum incursibus cedat. Hoc Deo & Angelis spectaculum jucundissimum, vir bonus

nus cum mala fortunâ compositus, & victor. Talis reverâ Iob, spectaculum Mundo, Angelis, hominibus, Deo admirandum. Iobi spectatores frigidissimi sumus, nî simus & imitatores.

CAPUT II.

Quis librum hunc dictarit? quis scripserit? quo fine? quod argumentum illius?

JObus calamitatum Oceano jam mersus: Quis, inquit, mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi laminâ vel celte sculpantur in silice. *a* Priscis, res nota, ceratæ fuerant tabellæ, quibus utebantur ad scribendum, uti nos pugillaribus. Stylus pro calamo fuit. Hic unâ parte acuminatus ut characteres effingi possent, alterâ latus, ut possent deleri. Publica monumenta Plinio teste. *b* Laminis inscripta plumbeis. Scribebant etiam in linteo & foliis. Iobus in fimeto institutu-

 rus

a *Iob. c. 19. v. 23.*

b *Plin. l. 13. nat. hist. c. 11. Guido Pancirollus in Henric. Salmuth. tomo 2. tit. 13. mihi pag. 588.*

rus tablinum, pro libro quem editurus est in lucem, non linteum, non folia, non cortices, nec ceram admittit, sed vel pagellas plumbeas, aut saxeas poscit, in quibus celte, ferreo lapicidarum calamo rectè scribitur. Cupiebat igitur Iob librum in lucem dare, monimento qui esset posteris, sempiterno. Iure ac merito.

Impetravit hoc Iob. Certè liber, quem scripsit, à nemine lacerari poterit, quin alius sit superstes. Verbum Domini manet in æternum. *a* De hoc Iobi libro quæri possunt ista 1. Quîs eum dictaverit. 2. Quis scriba & amanuensis fuerit. 3. Quó liber iste collineet. 4. Quodnam totius libri sit summarium. Vt ad quæstiones istas ritè respondeamus, suos huic Iobi scripto titulos perinde vt ipsi Iobo dabimus. Ita mi Lector, tantisper moram ne sentias, hæc præfari planè necessarium, dum ad ipsum Iobum veniamus, & primam theatri partem ingrediamur. Totus hic de Iobo liber quadraginta duo capita vniversè complectitur. Hinc primus illius titulus est:

a 1 *Pet. c.* 1. *v.* 25.

I. *Pro-*

1. *Prolixus liber.* Sunt in ſacris oraculis libri qui certe breves videntur. Ruth & Ionæ hiſtoria quatuor ſolùm habet capita. Tria tantùm Ioëlis, Nahum, Abacuc, Sophoniæ, vaticinium. Aggæus duo tantum, Abdias tantùm vnum continet caput, & tamen divinæ ſcriptiones iſtæ ſunt libri. Liber igitur de Iobo prolixus eſt, ad illos alios comparatus. Sed num quadraginta duo capita ſcriptione hac explicabimus? Non ſanè, ſed tria dumtaxat: primum, ſecundum, & vltimum. Hæc enim omnem hiſtoriam Iobi Felicis, Calamitoſi, iterùmque felicis complectuntur. Idcircò etiam tria hæc capita oratione ſolutâ ſunt ſcripta, cetera ligatâ. Num Iobi verſus idiomate Arabico ſcripti, ſint Hexametri an elegi, nobis incertum.

Gregorius Nazianzenus, qui ſolus olim Theologi nomen ſuſtinuit, minimum ſcripturæ ſacræ apicem grano ſinapis confert, quod minutum prorſus & gracile, cum autem creverit eſt arbor, quæ domos locet avibus. Ita ſanè in divinis literis quævis vocula virium & ſucci plena, mordens

& igneum ſinapi myſteriorum abundans penetrat, ſcindit, erudit, illuminat. Si ergo vocula vel unica myſteriis non caret, quantum in duobus & quadraginta capitibus erit myſteriorum? Hunc igitur Iobi librum meritò prolixum appellamus. Sed alterum apponimus titulum.

2. Obſcurus liber, eſt Iobi hiſtoria ob Arabicam & Hebræam linguam. Veneranda quidem obſcuritas in omnibus divinorum ſcriptorum monumentis eſt, in hoc Iobi libro maximè. Cùm reginæ Candaces quæſtor, qui religioſum iter Hieroſolyma inſtituerat. Iſaiam vatem in curru legeret, Philippus Apoſtolus vi cæleſti ad currum raptus: putaſnè, inquit, intelligis quæ legis? Cui Æthiops ingenue reſpondens: Et quomodo poſſum, ait, ſi non aliquis oſtenderit mihi? *a* In hac Jobi ſcriptione plurimum obſcuri, quod nemo ſatis intellexerit, niſi quis oſtenderit ei, & tot, ænigmatū arcana explicaverit. Et quam illud abſtruſæ indaginis eſt quòd homo patientiſſimus diem quo natus eſt tam impatienter execre-

a *Actor.* c. 8. v. 30.

execretur? Origenes ſacrorum voluminum illuſtriſſimus interpres. a Scriptura divina, inquit, eſt mundus intelligibilis, cujus quatuor ſunt elementa, Terram Hiſtoria, Aquam Ethica & moralis ſenſus, Aerem phyſica, Ignem Theologia, & divinæ Majeſtatis contemplatio repræſentat.

Tertiò Liber Jobi Protocanonicus eſt. Nec enim ſolùm inter divinos libros numerandus, vt ceteri, quos Canonicos vocamus, ſed priores partes obtinet: hinc etiam Protocanonicus, vti Stephanus Protomartyr appellatur. Hinc ſanè liber à Conciliis & priſcis Patribus ſemper & vbique vt cæleſtis doctrina eſt cultus, ita vt nunquam jure dubitari potuerit, an in voluminum ſacrorum numero ſit habendus.

Sed duo quædam hic quæras; Quis librum hunc ſcripſerit aut dictaverit? E dictis liquet, ſpiritu ſancto dictante hæc ſcripta eſſe. Quis ergo amanuenſis aut ſcriba? Iob ipſe, qui hæc Arabicâ linguâ conſcripſit. Quæ Moſes cùm in Arabiâ Paſtorem

 ageret.

a *Orig. c. 1. Ioannis.*

ageret, deſcripſit. & in Hebræam tranſtulit. Origines affirmat hunc librum Syrâ, Ægyptiâ, Hebræâ, Græcâ, linguis pœne omnibus vulgatum. Hieronymus ad Paulinum ejus mentionem faciens Iob, inquit, exemplar patientiæ, quæ non myſteria ſuo ſermone complectitur? Prosâ incipit, verſu labitur, pedeſtri ſermone finitur: Singula in eo verba plena ſunt ſenſibus. Veroſimillimum eſt á Moſe primum, ſecundum & vltimum caput in iſta ſcriptione appoſitum. Jobus igitur & Moſes ſpiritui ſancto à ſecretis fuerunt.

Quartò hic liber Iobi Euangeliis proximus eſt. Differit de ſuppliciis impiorum, de piorum præmiis, de Dei ſapientiâ, Majeſtate, potentiâ ſingulariter de providentia. Quædam tradit, quæ nullus Philoſophorum liber. Docet etiam diverſis argumentis tentationes & afflictiones ad vitam ſanctiorem multum conducere. Hæc profectò Chriſtiana Euangeliorum doctrina eſt. Ita beatus Petrus: Melius eſt, inquit, benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati quam malefacientes. Quia in hoc

vocati

vocati estis. *a* Sed idem Iobi liber de Christi omniumque hominum ad vitam reditu clarissima prædicit. Cùm Christus eo ipso die quo à cruce revixit peregrini habitum induisset viæ comites severiùs objurgans. O stulti, ait, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.

b Quam parum scitis, ô mei, quam nihil creditis! Nonne hæc opportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Hæc domini JESU doctrina est, hoc Christum imitari est, per patientiam eluctari ad beatitudinem; furibundum hoc vitæ mare trajicere natando, & ita portum obtinere beatorum.

Quintò, hic Jobi liber omni sexui, ætati, ordini, Christianis omnibus ad formandos mores vtilissimus est. Beato Paulo teste: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. *c* Hæc Iobi scriptio, si vlla

a 1. *Petri c.* 3. *v.* 17. *&* 19.
b *Lact. Vet.*
c *Rom. c.* 15. *v.* 4.

è divinis codicibus, generosam docet patientiam. Inde affirmavit Chrysostomus hunc librum, omni hominum statui, viris feminis, juvenibus senibus, opulentis pauperibus, Dominis servis, regibus mendicis, sanis ægrotis, lætis tristibus, afflictis felicibus prodesse plurimum. Ad hunc librum, ait, tanquam ad matrem quampiam, prolis amantem, & quovis loco manus tendentem, trepidantesque natos excipientem vsque confugiamus.

a M. Cato natu minor, qui civile bellum repressurus Cæsari & Pompejo sese acerrimè opposuit, supremâ vitæ nocte, pro omni supellectile gladium & librum habuit, gladium ad lecticæ caput posuit, librum manu prehendit, legitque è Platone (is enim liber fuerat) Phædonem dialogum de immortalitate animæ. Eâ lectione sic inarsit ad vitæ contemtum, vt libro posito corripuerit gladium, eúmque in pectus animosissimè adegerit. *b* Si Platonis Phædó tantos

a *Chrysost. in catena.*

b *Seneca l. de provident. c. 2. & epist. 24. 1 pag. 429.*

tantos Catoni animos potuit ſuggerere, cur ſanguini Chriſtiano liber Jobi non ſpem afferat; non animos augeat? Mei conſilii eſt, vt cum res turbulentæ ſunt & adverſæ, legamus obſecro primum, ſecundum, & quadrageſimum ſecundum in Iobo caput, & auſim promittere patientiam fore ſolito promptiorem.

Sextò, Jobi liber providentiæ divinæ ſummarium aut breviarium eſt. Hic varii ſermones, colloquia, diſputationes, quæ omnia eò collineant vt divinam in rebus omnibus providentiam agnoſcamus. Hoc Jobi fundamentum fuit ſolidiſſimum, Dei providentiam nunquam erraſſe, nunquam erraturam, ſed nec errare poſſe. Ideò Hiſtoriam hanc omnem divinæ providentiæ theatrum appellamus. Theatra Romæ Marcelli, Pompeii, Scauri à ſuis conditoribus nomen ſortita ſunt. Noſtrum hoc Theatrum divinæ providentiæ ſacrum eſt, quam rebus omnibus maximis minimis ita moderari oſtendit, vt nec pilus quidem hominis tangatur, defluat, evellatur, pereat, quin divina providentia aſſenſum præbeat.

beat. Historiam Eustachii Romani ducis admirandam suspicimus quod conjugem, liberos, facultates omnes perdidit, & perdita omnia recepit mirabili eventu. Sed historica hîc fides & humana. Iobum omnia perdidisse sed & omnia recepisse fide Theologicâ divinâ credimus, quia Deus dixit, Deus manifestavit. Auctoritas divina fidem nostram reddit securam. Sed antequam huic capiti coronidem addamus, falsæ ac deceptricis Dialecticæ specimen notemus.

Amici Job, viri sapientes, sed non cœlesti litteraturâ, pueriliter putabant bonis bene, malis malè res cedere; censuerunt enim Deum probis adesse semper plenâ manu, suavi benevolentiâ, prosperis rerum successibus. Hinc argumentis evincere conabantur Iobi sanctitatem esse larvatam, quando Deus illum repentè adeoque graviter percusserit & præcipitaverit. ô Dialecticam fallacem! ô Logicos imperitos & fatuos. In Dialecticâ Christianâ nulla est hæc cohæsio: *Percussus à Deo, ergo improbus.* Flagellatus, *Præcipitatus à*

Deo

Deo ergo rejectus & abdicatus. Peſſima indoctiſſima connexio. Hæc bona, hæc erudita eſt: *Caſtigatus, Flagellatus à Deo ergo amicus ergo Filius Dei*. Sic argumentatur Magnus è Tarſo Doctor: Flagellat autem omnem Filium quem recipit. *a* Vera Chriſti Dialectica ita docet: â Deo flagellatus, à Deo igitur amatus. Ipſe Dei filius Chriſtus Dominus an non à Deo percuſſus? Nos, inquit *b* Iſaias, putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo. Ipſe pater fatetur: propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

à Deo percuſſus, ergo non filius. Concluſio indoctiſſima, Dialectica nulla eſt. Fundamentum amicorum Iob fuit, ſed falſum, quod Eliphaſitus Themanites pronuntiavit: Quis unquam innocens periit? *c* Quis innocentior Dei Filio? percuſſit eum Pater. Quis innocentior Dei Matre? percuſſit eam. Quis innocentior Apoſtolis? Percuſſit illos. Quis prophetis? percuſſi ſunt. Quis purpuratis

a *Hebr*. c. 12. *v*. 6.
b *Iſa*. c. 53. *v*. 4. & 8.
c *Iob*. c. 4. *v*. 7.

ratis Christi testibus? neque his parsum est; primi omnium sunt percussi. Futurum hoc Zacharias prædicens: percute Pastorem, inquit, & dispergentur oves.a Ita Iobus suos amicos erudit, & rationibus eos convincit falsæ doctrinæ. Deus veluti disputationis Præses ita rem componit, vt Iobum rectè sentire, ceteros errare doceat.

Itaque providentia divina in rebus omnibus observanda, veneranda, amplexanda. In animo semper hæreat Seraphini Firmani dictum: Nostra vita per singula rerum ac temporum momenta à Deo sic temperatur ac regitur, vt omnia in nostrum cedant bonum, si velimus. Quando igitur, ô Christiani, bene vobis est, à theatro providentiæ divinæ obsecro nec latum vnguem abite: meliores rerum successus à providentiâ divinâ provenire agnoscite, & gratias agite. Malè vobis est? Theatrum divinæ providentiæ, quæso, ne deserite, sed tristiores rerum eventus ab eâdem providentia immitti pariter agnoscite. Hominibus

Diabolis,

a *Zach. c. 13. v. 7.*

Diabolis, ceterisque rebus creatis Deus vt instrumentis vtitur; ipse opifex hæc omnia sapientissime disponit, potentissimè facit. A Deo sunt hæc omnia; (peccatum excipimus) auctor omnium Deus, Dominus dat, Dominus aufert; Dominus vulnerat, Dominus sanat; Dominus ditat; Dominus depauperat. Hæc exactissimè in theatro divinæ providentiæ discenda. Hinc animi tranquillitas & alta quies, futuræ beatitudinis initium.

CAPVT. III:

Iobi Opulentia, Scientia & Dignitas.

IN Hispaniis ævo veteri Princeps opulentus ac trium insularum poens fuit. Ebusi vna, Baleares alteræ. Hinc eum poëtæ tricorporem finxee, cui caput trigeminum, triplex ultus, tres linguæ. Alii ajunt tres uisse Fratres nominis ejusdem adeò oncordes, vt putarint vnam animam ibus habitare corporibus, tanta inr eos concordia, tantus amor. Hinc e per poëtarum chartas nominalissimus Geryon.

In

In divinæ providentiæ theatro Iobum vt tricorporem proposui. Hinc illa partitio: Iob felix & continens; Iob calamitosus & patiens; Iob beatus & non elatus. Structum est igitur theatrum. Agamus spectatores dum Iobus agit actorem; ad providentiam divinam singularissimè attendamus Actionis hujus scopus est, divinæ providenttæ notitia.

Sed ante omnia suos Iobo titulos assignemus. Hic vir penitissimè nobis noscendus est. Nam tantò excellentior est illius patientia & æquanimitas, quantò major ejus opulentia, sublimior dignitas. Gravissima Iob tulit, & tamen patientiam non perdidit. Hunc mihi actorem cupidissimis oculis & auribus admittite. Iob felix & continens, in theatro primo, ad fontes, & ad modos musicos in hortis suam nobis & opulentiam simul & innocentiam probabit. Hussæi principis tres primi tituli sunt. *Iob opulentus, Iob doctus Iob honoratissimus*. De his hoc capite, prius tamen Iobi patriam, parentes, stirpem explicabimus.

Iob gente Idumæus. Hæc prima illius

illius laus, inter Arabas gentem incultiſſimam natum & educatum non vixiſſe vt populares & indigenæ conſuerunt vivere. Stemma ſuum Iob duxit ab Eſau, cui quinque nati ſunt filij, inter quos & Rahuelem numeravit Zaræ patrem. Zara verò pater fuit Iobi. Ita Iob ab Eſau abavo in virili ſtirpe quartus fuit Porrò Zara Iobi pater fuerat princeps de Boſrâ Idumæâ quæ Iobo patria.

Iob inter ſuos primogenitus, & natu maximus: hinc caput familiæ, & ſacerdos, nam gemina hæc prærogativa primogeniti fuit, vti etiam in Iobi familiâ obſervatum. Quod autem Iob rex fuit, id à patre hæreditarium non accepit, ſed terram Hus in Arabiâ ſeu Idumæa ſitam ſuâ ſibi virtute ſubjecit. Iob igitur Idumæus Arabs de Boſrâ. Sed verè multò ſanctius vixit quam ejus populares. Hinc adeò laudatus à Deo, quia multitudidem & turbam vitiis innutritam non eſt ſecutus.

Natus eſt Iob anno ab Orbe condito, bis milleſmo treceteſimo viceſimo octavo. Ante regem David quin-

quingentis quinquaginta; ante Christum regem mille ſeptingentis viginti quinque annis. Ita divina providentia omni ævo viris ſanctiſſimis ornavit Orbem velut fulcientibus columnis. Tales Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Moſes; cum Moſe Iobus vixit ſeptuaginta quinque ferè annis. Quo quidem extremo tempore ſummis calamitatibus Iob jactabatur, cum enim annum ageret ſeptuageſimum, à diabolo crudeliſſimè cœpit oppugnari.

Ergo Iob Idumæus, Arabs, ſecundus rex in regione Hus, ſucceſſor Balac, vel Bala, qui Beor fuit filius, conjux Iobi Boſorra ex Arabiâ itidem oriunda. Hîc cum beato Petro proclamare poſſim: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. *a* Quâ ſententiâ dixit Auguſtinus: *b* Ne glorientur Iudæi: Nos ſemen & filii Abrahæ ſumus, in aliis etiam gentibus invenit Deus, quos probet & ſingulari favore com-

plecta-

a *Actor. c.* 10. *v.* 34. b *Aug. l.* 18. *de civit. c.* 47.

plectatur. Nunc Iobi titulos audiamus.

Primus: IOB OPULENTUS. Sacræ Historiæ verba sunt. Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis; eratque vir ille magnus inter omnes orientales. *a* Priscorum opes pleræque in pecore. Hinc à pecude pecunia, cujus inscriptio & signum plerumque bos fuit aut ovis. *b* Verum Iob & auri dives. Nam monetæ vsus jam erat, qui Abrahami ævo cœpit; ille jus sepulturæ quadringentis siclis emit; cujus & vxor à rege Abimelecho mille argenteos accepit. De se ipso Iobus: Si putavi aurum, inquit, robur meum, & obrizo dixi, Fiducia mea. *c* Iobo velut à funere jam redivivo, Fratrum, Sororum, Cognatorum & amicorum, singuli pro se quisque vnam inaurem auream dederunt. Iob vere dives & opulentus sed divitiarum & opum maximarum verus contemptor. Innumerum

a *Iob c. 1. v. 3. & seqq.* b *Quod Varro notat.* c *Iob c. 31. v. 2.*

numerum pœnè pecus, ampla pecunia, copiosum aurum Dei memoriam illi rapere non potuerunt. Hoc ceteroqui proprium sibi habent divitiæ, memoriam Dei subducunt. Hoc Isaias sanctè monens: Repleta est, inquit, terra ejus argento & auro, & non est finis thesaurorum ejus, & repleta est terra ejus idolis. *a* Plutus idolum Mundi maximum; non deest idolis spatium, vbi Pluti magnum est imperium. Plerumque satis est vitiorum, ubi satis est nummorum. Quod Moses luculentè docens: Incrassatus est, inquit, dilectus, & recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum. *b* Vbi copia rerum & abundantia, ibi plerumque pietatis inopia. Nam quemadmodum picturas ædium paullatim abolent & extinguunt pluviæ, ita divitiarum amor quicquid in animo sensûs est melioris delet. Radix omnium malorum cupiditas. *c* Iob opulentus, & tamen Deo non ingratus, non obliviosus justi-

a *Isa. c.* 2. *v.* 7. & 8.
b *Deut. c.* 32. *v.* 15.
c 1 *Tim. c.* 5. *v.* 15.

juſtitiæ cultor, non amator pietatis frigidus.

Secundus Jobi titulus. IOB DOCTUS, SAPIENS, FACUNDUS. Et à ſcholis Iob eruditionem accepit & ab ærumnis. De doctrinâ Iob ſublimi, Ambroſius: In tentatione, inquit, ſanctus Iob myſteria loquitur. *a* Iob doctus, Iob poëta, Philoſophus, Aſtrologus, Theologus, Doctor gentium. Poëta eſt, ſiquidem Hieronymo teſte, à principio vſque ad initium capitis tertii, proſa eſt oratio, vti & vltimum caput, reliquum Hexametris verſibus conſtat. Iobum Philoſophum Suidas appellans: Habes, inquit, hujus Philoſophi librum, multò & Homericâ & Platonica Luſcinia cantitantem ſuavius. Sed Philoſophus, etiam moralis & ethicus eſt, de vitiis de virtutibus non minus nervoſe ac eleganter differit atque David, Salomon, Eccleſiaſtes, Prophetæ. Aſtrologus eſt qui meteora, ſtellas & grande hoc aëris imperium eruditè prorſus depingit. Origines etiam ventorum, grandinis, nimborum, frigoris, toni-

a Ambroſ. in c. 4 Luc.

truum, fulgurum, nivis indagat. Nomina siderum metro complexus: Qui facit Arcturum, inquit, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri. a Sed & Theologus est Iob, de Deo divinaque naturâ disserens. Quæ non mysteria, inquit Hieronymus, suo sermone complectitur? singula in eo verba sensibus sunt plena. Iob Doctor & Apostolus gentium est; liber illius gentem humanam omnem, & orbem vniversum erudit. De se ipso Iobus: Principes, inquit, cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.

b Tertius: Iobus Honoratissimus non solùm ob dignitates, sed etiam scientias. Primam felicitatem suam depingens Iobus: Quando procedebam, inquit, ad portam civitatis, & in plateâ cathedram parabant mihi; Videbant me juvenes & abscondebantur, & senes assur-

a *Iob. c. 9. v. 9.*
b *Iob c. 19. v. 9.*

aſſurgentes ſtabant. Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum. Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram. *a* Omnium oculi in Iobum flectebantur; volabat per ora virûm. Opulentiam ipſius ſuſpiciebant omnes, non minus tamen ſcientiam. Quàm clarè de nativâ labe dixit: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? *b* Quàm apertè Chriſti Servatoris humanitatem elocutus: Scio, inquit, quòd redemptor meus vivit: Non Conditorem vocat ſed redemptorem, & affirmat eum vivere qui manibus impiorum necandus erat. Ita Chriſtum ante Chriſti natalem mille ſexcentis quadraginta novem annis veluti Euangelicus orator proclamavit. Hæc talis doctrina opibus juncta honoratiſſimum fecerunt Jobum. Hinc inter omnes Orientales vir nominis maximi. Eliphaſius

 Thema-

a *Ibid. v.* 7. 8. 21. *& ſeqq.*
b *Iob c.* 14. *v.* 4.

Themanites, Iobi cognatus, in fortitudine brachii tui, ait, possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam. *a* Hæc in antecessum necessariò nobis scienda, ut eum tantò graviùs præcipitatum, quantò antea magis exaltatum, & tantô illustriorem ipsius fuisse patientiam noverimus, quantò acerbiorem plagam.

Ergo Iob opulentus, Iob doctus, Iob honoratissimus. Iob verè dilatatus & impinguatus, & tamen non recalcitravit. Hoc sinceræ virtutis, hoc summæ laudis est. Potuit Iob transgredi, & non est ttansgressus; facere mala, & non fecit; ideò stabilita sunt bona illius in Domino. *b* Hæc germana virtus est. Exemplo id monstramus. Est quispaim sobrius & temperans; paupertas adigit, nec enim aliter potest; comessariones & lautiorem mensam non admittunt loculi: hunc esse intemperantem non sinit marsupium. Alius amplæ fortunæ structissimam accumbit mensam, exquisita prorsus fercula eum invitant, ille ramen moderari scit

a *Iob. c.* 22. *v.* 8.
b *Eccle. c.* 3. *v.* 10.

ſcit gulæ, & genium fraudare cupitis; manum abſtinet, & vix ſatisfacit fami. Hic revera ſobrius eſt atque temperatus, poteſt tranſgredi & non tranſgreditur. Hæc vera virtus. Simili modo alius bonæ famæ, modeſtus eſt, ac frugi, quia procul eſt ab omni occaſione; nihil oculis obverſatur quod alliciat ad peccandum. Laudandus hic, qui occaſiones quas nou habet, quærere poſſet; ideò certè laudandus: ſed præ illo magis iſte, qui paratiſſimas habet occaſiones, & vbique obvias, allicitur, invitatur, rogatur, trahitur, frequentes ejus pudicitiæ ſtruuntur inſidiæ, & tamen ex oculis DEUM non dimittit, continet ſe ſe, & animum attollit cœlo, aitque ipſe ſecum propitius ſit mihi Deus, ne faciam rem hanc *a* nefariam. Hic verè pudicus, verè caſtus; hic verus Joſeph, verus Iobus eſt. Poteſt tranſgredi, & non tranſgreditur, Hæc alta virrus.

Eodem ſane modo fidus aliquis cenſetur & à furtis alienus; ſed non adeò mirum hoc, nihil in pecunias

a 1. *Reg.* 4. *v.* 7.

habet imperii, nec vſquam occaſionem invenit paratam. Laudemus hunc hominem & collectæ manûs dicamus. Sed ille alius laude multò dignior eſt qui claves habet plurimi auri cuſtodes, qui monetam Domini non numeratam optimâ fide ſervat intactam, & ex eâ nec aſſem in ſuos loculos ſubducit. Poſſet tranſgredi, & non tranſgreditur, poſſet è ſegete tam opimâ ſpicas vel etiam manipulos aliquot tutò ſublegere, præſertim cùm alios complures id facere non neſciat, ille tamen nec quadrantem ſublegit, ſed rem Domini ſui curat vt ſuam: Faciant alii, ait, quod volunt, ego tamen licet auri commoliti farina fidei meæ committeretur, fidem non temerabo, & nec pulviſculum inde auferam. Hic verè fidelis eſt Servus qui poteſt facere mala, & non facit: Hæc germana virtus laude digniſſima. Eſſe felicem, & eſſe tamen continentem, Iobi miraculum. Quod imitari difficile non eſt volenti.

C A-

CAPUT IV.

Continuantur Iobi encomia, & Rex Regum, Pius, Felix ac Fidelis demonstratur.

AD divinæ providentiæ theatrum Sedemus, & primam actionis partem in viridariis, ad fontes amœnos & modos musicos spectamus. Hactenus omnia bene Iob felix & continens. Majorum imagines, Iobi patriam & stemmata explicavimus: Suos etiam huic viro titulos assignare cœpimus. 1. Iob opulentus tam pecore quam pecuniâ. 2. Iob doctus, poëta, Philosophus, Astrologus, Theologus, Doctor gentium; sapiens & facundus 3. Iob honoratissimus, inter omnes Orientales Magnus. Etiamnum ridet cœlum; amænus sol affulget liberalissimè; pax & serenitas aëris vndique; gloria & divitiæ in domo Jobi.

Ergo pergimus, & plures Iobo titulos assignamus, & vna Hussæum hunc Satrapam non minus Continentem quam felicem ostendimus. Proximo capite veræ virtutis indolem, isto veræ fidelitatis naturam in epilogum addemus.

Quar-

Quartus Iobi titulus; JOB REX, ET REGUM REX. Encomiaſtes ſacer Tobiæ pro teſtimonio dicens : Nam ſicut beato Iob, inquit, inſultabant Reges, ita iſti parentes. *a* Si ergo cognati Iob reges fuerunt, ipſum fuiſſe regem cur negemus, quem inter omnes Orientales Magnum agnoſcimus? De ſeipſo Iobus: Cùmque ſederem, inquit, quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator. *b* Hic elementorum ſcholas & Grammaticam intergarrientem quieſcere jubeamus. Nam illa vocula, Quaſi, regiæ dignitati nil demit. An non Ioannes de cæleſti ſummo rege dixit: Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi vnigeniti à patre. *c* Veriſſimus fuit vnigenitus, verbo illo nil minuente. Interpretes ſeptuaginta Iobum apertè Regem nominant, idque è Geneſeos libro ita demonſtrant: Reges qui regnarunt in terrâ Edom, antequam haberent Regem Filij Iſrael, fuerunt hi : Bela Filius Beor &c. Mortuus

a *Tob. c. 2. v. 15.*
b *Iob. c. 29. v. 25.*
c *Iohan. c. 1.*

Mortuus est autem Bela, & regnavit pro eo Jobab Filius Zaræ de Bosrâ. *a* Res liquida. Olympiodorus de eodem: successit quidem, inquit, Balaco Iobus in Regnum, sed nequaquam illius impietati successit, nam Abrahami fidem virtutemque imitatus est. *b* Iob non Hebræus, sed nec Ethnicus; DEUM agnovit; Rex pientissimus fuit. Isidorus de circumstante Iobum exercitu, mentionem iniiciens: Tale quippiam, inquit, Iobum dixisse opinor, vel quod militibus legitimè præerat, & imperabat, vel quod terrorem latronibus inferebat, & legibus illos coërcebat.

Iob ergo regulorum aliorum Rex fuit. Non negem Ævo illo Regem appellatum, qui vni etiam civitati præfuisset. vti quinque civitates illæ Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, Segor quinis Regibus parebant; sed civitates erant multùm amplissimæ, & pœnè provinciæ. Iob Regionem Hus, seu. Asitidem gubernabat, in quâ non solùm Rex, & supremus

a *Gen. c.* 36. *v.* 33.
b *Olympiod. in catenâ mihi p.* 542.

premus Magistratus, sed regum aliorum Rex fuit, ad cujus tribunal omnes alii Reges provocarent. Hunc morem Palæstini Reges servarunt: Sapientissimus ex eis & incorruptissimus ceterorum, Rex Regum fuit. Tales Melchisedech & Adonisedech. Idem in aliis nationibus est videre. Artabanus Parthorum Rex Magnus, & primus duo gessit diademata, vti Herodianus docet. Caligula Imperator hoc ipso Parthicos Reges titulo affecit. Rex Persarum Sapor, à Iulio Capitolino Rex Regum appellatur. Armeniorum regem. Tigranem, Regum Regem nominat Plutarchus: Ægyptiorum Reges Simander & Sesostris, teste Diodoro Siculo, in suo quisque epitaphio hoc fagistii nomen prætulit, Rex Regum.

Ita etiam Iob noster ob luculentas opes, singularem eruditionem, eximiam virturem, Rex Regum indigetari meruit. Hinc & principes in ejus obsequiis occupati; cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo: Vocem suam cohibebant duces, *a* locuturi Iobi reverentiâ. At verò

pecus

a *Iob. c.* 29. *v.* 29.

pecus tam copiosum Iob ideò numeravit, quia divitias Ævo illo vivas, prædia, agros, pecora longè præferebant pecuniæ; Illa etenim fenus multò pariunt honestius quam pecunia: quæ vbi telluris gremio ejecta est, crescere non potest amplius nec aliam sibi similem generare: nisi hos partus educet; lucrum cessans, damnum emergens, & quicquid horum nominum honestiorum est. Vsura verò honestissima, pecudes & agri. Dein etiam vivæ illæ, quas diximus, divitiæ plus recreationis habent & voluptatis quam argentum factu; & nummi signati, mutui. Tunc certè gens humana, & Orbis veluti juvenescens, lætioribus alebatur curis: Nunc autem frigidus senescens. Mundus pecuniam clamat pecuniam, pecuniam: veluti senes opes mortuas & sepultas amant, aurum centum clavibus custoditum aut terræ defossum prono capite adorant. Hinc montes perfodimus & in Matris nostræ viscera imus, vt avaritiæ humanæ pabulum extrahamus. Iob verè Regum Rex, hoc etiam nomine, quia sui victor & auri contemptor.

Quin-

Quintus Iobi titulus, IOB PIUS. Iobi pietatem paucis exequemur. Nam illius virtutes denarrabimus ſingillatim. Profectò vir iſte fuerit verè pius, & vnius cum Paulo ſpiritus. Generosè Paulus: Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis vt inhabiter in me virtus Christi, propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. *a* Ad eundem pœnè modum Iob recenſens ſuos dolores & ærumnas maximas: Et hæc, inquit, mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat. *b* Davidicus reverâ & Paulinus ſpiritus, qui in trepidâ manu amariſſimum mœroris calicem prehendit! Iob affligit ut, flagellatur, cæditur ſæviſſimè, ille nihilominus hilaris cantat, & favorem ac ſolatium interpretatur, affligi à Deo & flagellari. Ideo illum Chryſoſtomus virum appellat Euangelicum, qui ſuarum etiam cogitationum curam habuerit maximam. Neque ſolùm de ſuis, ſed etiam

a 1. *Cor. c.* 12. *v.* 9. *&* 10.
b *Iob. c.* 6. *v.* 10.

etiam de filiorum ac filiarum cogitationibus sollicitus: Ne fortè, ait, peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis *a* Vapula hîc Vlpiane, vapula, qui ausus dicere: Cogitationis pœnam nemo patitur. Non solùm Christiani te lapidant, sed ipse Iob prituos in te lapides jecit, qui Deum cogitationibus graviter lædi docuit. Sua igitur ipsis etiam cogitationibus constituta est pœna.

Vbi autem sollicitudo & cure geritur, ne cogitationes sint impura, fastuosæ, lividæ, libidinosæ, ibi domi suæ est pietas. Et inde Iob vir verè pientissimus. Qui insuper etiam Consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis. *b* In divinis litteris variè laudatur: Diluculo venire, manè vigilare, ante lucem, nocte consurgere. Hinc Cainus objurgatione duplici dignus, de quo Moses: Factum est inquit, post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. *c* Prima hîc

a *Iob. c.* I. *v.* 9.
b *Ib.* I. *v.* 5.
c *Genes. c.* 4. *v.* 3.

hic culpa; serò nimis obtulit, & nihil obtulit boni, sed solos terræ fructus. Vigilantior Iob & liberalior in Deum. Largior David & celerior. Manè, inquit, astabo tibi & videbo. *a* Excubabo primâ luce ad tabernaculum, ubi tu Deus tuam maximè præsentiam ostendis. Ad idem exhortatur Amos: offerte manè victimas vestras. *b* Quàm frequenter, ô Deus, vigilamus noctu, sed in aliorum & nostram perniciem. Est qui mediâ nocte aut summo manè vigilet, & partes in omnes verset animum, vt inimicis suis noceat. Alius totam pœnè fortunam in nominibus habet, *c* hunc æris alieni magnitudo facit insomnem. Est qui attentissimus in lecto vigilet, sed vt in altum dignitatis gradum ascendat. Alium excitant insomnes curæ & negotiorum moles. Alii noctes pœnè totas pervigilant vt liberos vel opificiis applicent, vel in studia mittant, vel nuptum collocent. Aliis res angusta domi somnos abrumpit, & dimidias jubet

a *Ps. 5. vers. 4.*
b *Amos cap. 4.*
c Ist mehr schuldig als Er hat.

jubet vigilare noctes: Alii vigilant ut calices trahant, Chartulis pictis ludant, aut fritillum moveant. Multum ubique vigiliarum est, sed sæpe noxiarum. Pauci qui vigilant & orant. Hoc robustæ pietatis est. Jobus in hac classe; qui diluculo consurgens offerebat holocausta singulis diebus Job Pius

Sextus: JOB FELIX. Romanorum Cæsarum, ut inscriptiones & monetæ veteres testantur, hoc maximè prænomen fuit, *Pius, Felix, Augustus*. Si ullus unquam maximorum principum hoc encomio gloriaari potuit, id certè Rex Hussæus omni jure sibi vendicavit. Iob pius, felix. Decem Jobo liberi fuerunt, filiæ tres, septem filii optimè instituti, moribus probi, in spem maximam nati, tam cum parentibus quam inter se concordiâ conjunctissimi. Mutuo huic amori firmando quotidiana sibi convivia, sed veteri putem frugalitate, instruebant. Ibant hæc in orbem, ita quidem, ut si maximus natu frater cæpisset die solis; natu minimus hunc convivalem circulum ultimo hebdomadis die clauderet: suũ quis-

que diem noverat, quo tres sorores & sex Fratres in sua domo convivas exciperet. Ne miremur; opibus abundabant, nec ad nostri ævi luxum convivia parabant; colloquiorum potiùs suavitate, quam pretio & raritate ferculorum pascebantur. Genialis eorum mensa amorem mutuum fovebat.

Job felix, felicissimus. Sciverat hæc cacodæmon, ea propter invidus & in accusationem exardescens, ut Jobi sanctitatem extenuaret: Nonne tu vallasti eum, inquit, ac domum ejus, universamquè substantiam ejus per circuitum: operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terrâ. *a* Ubique bene est Iobo; domi, ruri, in ære, in pecore, in liberis, in familiâ, in omnibus negotiis, quicquid actionum suscipit; prospere feliciterquè conficit. De tali psaltes canit: Omnia quæcunque faciet, prosperabuntur. *b* De Iobo prædictum videri potest. Benedictus tu in civitate, & benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ,

a *Iob*: c. 1. v. 10.
b *Ps*: 1. v. 3.

tuæ, fructuſque jumentorum tuorum, & caulæ ovium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra quam acceperis. *a* Ita Iob juſtus & ſanctus velut arbor ad aquas divinæ voluntatis, providentiæ ac benedictionis erat conſita, omnia quæcunque fecerat, proſperabantur, ipſa eum adverſa juvabant. Canit Rex Pſalmographus: Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. *b* Interprete Auguſtino & Arnobio: Quoniam, inquit negotiationem ſeu rationem tractandorum negotiorum non calleo, me totum, quantus quantus ſum, Dei potentiæ, ſapientiæ, ac providentiæ committam. Hic verus eſt in Domini potentias ingreſſus, hîc tuta proſperitas, hîc ſancta felicitas. Hæc Iobi fuerat inter mortales beatitudo. Iob felix, ſed continens.

a *Deut. c. 28. v. 5. & ſeqq.*
b *Pſ. 70. v. 15.*

Septimus Jobi titulus, JOB FIDELIS. Diabolus in arcano Angelorum concilio Jobi ſanctimoniam vehementer extenuans: Numquid Job, ait, fruſtra timet Deum? a Deus illi annuit ad omnia; quicquid obſequii Deo præſtat, non gratis præſtat, maximo id lucro facit; illius ſanctimoniam cenſus pinguiſſimi alunt: urat eum egeſtas, mox evaneſcet omnis iſta ſanctitas. Iob mercenarius eſt, qui non laborat, niſi mercedem accipiat: Iob ollaris amicus eſt, dum plena eſt olla, durat amicitia. tolle ollam, & unâ ſuſtuleris amicitiam. Hæ Diaboli calumniæ in Iobum cudebantur: Sed Iobi ſincera in Deum fidelitas eximiè hîc enituit. Ollaris certè amicus Dei non fuit. Notum; quando complures ſcholaſtici pauperes è ditiore domo ciborum reliquias accipiunt, ad unam ollam veluti Fratres conjurant: Hæc autem Fraternitas non longioris quam olla, fati eſt; ollâ ceſſante ceſſat Fraternitas: ſic amici ollares tamdiu blandiuntur, quamdiu lautè paſcuntur; tolle pabulum & perdidiſti ami-

a *Iob. c. 1. v. 9.*

amicum. Quod Tullius præclarè tradens: Non erit ista amicitia, inquit, sed mercatura utilitatum suarum. Qui enim non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliquâ atque fructu, callidi sumus non boni. *a* Amicorum verè fidelium magna raritas.

Hinc illa in divinis litteris tam honorifica fidelis servi compellatio: euge serve bone & fidelis. *b* Et: Quis putas est fidelis servus & prudens? c Gratuitus Dei cultor, non mercenarius, non mercator. Multi Deo serviunt, quamdiu solatii aliquid à Deo accipiunt, dum sensilis devotionis saccharum & aqua rosacea instillatur pectori, cum subtrahitur hoc saccharatum, languet servitium, cessat omne obsequium. Quid faciemus, ajunt, non sapit oratio, non sapit lectio; nullus gustulus, nihil solàtii, cor aridissimum, omnia merum absynthium. Quis hac legè serviat? Ita suum Deo famu-

a *Cicero l. 1. de nat: Deor. & l. 1. de legibus.*
b *Matth. 25. v. 23.*
c *Matth. c. 24. v. 45.*

famulatum renunciant, excussuri servitutis jugum. O Servos, sed non prudentes, non fideles! Longè alium se Jobus præstitit. Multa millia pecoris armentalis ei erepta, & tamen Deo servitium non obnuntiavit. Decem illius liberi collapsis ædibus extincti, & tamen fidelis Deo servus perstitit. Omnes ei opes, honores adempti omnes, Deo tamen servire non desiit. Ipsa ei subtracta valetudo, & vita morte miserior relicta, ipse tamen suam in Deum fidelitatem perseveravit. En Dei servum verè fidelissimum? Bellariorum quædam melle condiuntur & macerantur; hæc quamdiu mellis societatem habent, facillimè velut recentia conservantur; cùm extra mel suum sunt, putida fiunt & corrumpuntur. Ita frigidi & delicatiores Christiani quamdiu successu rerum & solatiis non destituuntur, dum lingere mel cæleste possunt, Dei servos se gerunt; cum verò hi mellis linctus subducuntur, cùm mentis ariditas & rerum adversarum cumulus premit, heu! & animum & vultum contrahunt, non jam fideles servi,

servi, sed queruli & impatientes adversarii, vel certè ollares amici, quorum fidelitas nulla est, quam primùm vacua olla est. O ignava mancipia! Non tales ambit servos Deus, quos semper melle perfundat, & Saccharato pascat; non vult infantes quibus assiduè lac immulgeat. Ideò Paulus nonnullis opprobans: Facti estis, inquit, imbecilles ad audiendum, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. *a* Amicorum aut servorum fidelitas non felicitate ac gaudiis probatur, sed calamitate atque adversis.

Græci, Xenophonte teste, *b* mortuos quandoque sepeliebant melle, ut diu defendi possent à putredine. O miseros & ô mortuos Christianos, qui nolunt vivere, nisi melle natent. Non semper oleum, ô boni, non semper mel, non semper aqua rosacea: sæpe Deus aquam marinam aut lixivium, aut etiam chrysulcam *c* adhibet ut suos probet & lavet. Hic se se prodit fidelitas,

a *Hebr: c. 5. v. 11. & 12.*
b *Xenoph: l. rer. Græc.*
c Schaidwasser.

quæ ſi vera eſt, etiam tolerans eſt, & adverſis omnibus ſuperior. Iob non ſolum aquâ ſalſâ & lixivio, ſed etiam chryſulcâ merſus, & probe lotus, fidelis tamen perſtitit & obſequioſus.

Tres Hebræi regiæ ſtirpis juvenes regi Nabuchodonoſori in os objiciunt: Ecce Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis: quòd ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus. *a* Ita noſtrûm quiſque dixerit: Ditare me poteſt Deus, & ad honores extollere; quòd ſi noluerit, ei nihilominus ſerviam: ſolatia mihi poteſt inſtillare Deus, & devotionis medullam dare; quòd ſi noluerit, nihilominus ei fideliter ſerviam: poteſt Deus ſuaviſſimam in cor meum tranquillitatem infundere; quòd ſi noluerit, notum ſit tibi, Munde; notum tibi ſit, ô Caro & Diabole, quia Deos veſtros non colo. Fidelis & gratuitus Dei cultor perſiſtam, quicquid me fiat. Impenſis meis Deo ſerviam, quamdiu illi placuerit. Nunc quidem in amaras afflictionis aquas excu-

a Daniel c. 3. v. 17.

excutior, ſed ut natare diſcam ſine cortice. Mihi dictum cenſebo:

Simul ac duraverit ætas
Membra animumque tuum, nabis ſine cortice.

Talis Iob, tales ſunt veri amici Iob, tales & amici Chriſti, quorum quiſque ſibi dictum novit: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *a* Iob pæne ultra mortem fideliſſimus permanſit, & certè coronam non futuræ ſolùm ſed & præſentis vitæ accepit.

a *Apocal. c. 2. v. 10.*

CAPUT V.

Iob Sacerdos, Propheta & Martyr Chriſti & Patientiæ Typus.

IN divinæ providentiæ theatro, mi Lector, ſpectaſti hactenus Jobum Opulentum, Doctum, Honoratiſſimum, Regem, Pium, Felicem, Fidelem. Vidiſti etiã non minus Continentem quam Felicem, qui fortu-

nam venientem ita novit excipere, ut ſciret etiam abire poſſe, qui dies bonos eodem vultu tolerare didicit quo malos, vir aptus natus ad omne virtutis votum. [illegible]cuſque parum diximus, plura reſtant encomia, ſanctiora ſuperſunt nomina. Iob etiam Sacerdos, Iob Propheta, Iob Martyr, Iob Chriſti & patientiæ typus. Hos Iobo titulos hoc capite aſſignabimus; unà etiam oſtendemus, quæ vera Chriſtianorum Prophetia, quæ vera ſit patientia.

Octavus Iobi titulus, JOB SACERDOS. Job inter germanos Fratres primogenitus, & natu maximus, alioqui nec in ſacerdotem nec in regem inaugurandus. Primogenito Fratri ſceptrum debebatur & Sacerdotium, quod in Abrahami quoque familiâ ſervatum diximus. Jacob in fatali lectulo fatiſcens, circumſtantibus filiis: Ruben, ait, primogenitus meus prior in donis, major in imperio. *a* Hinc pultiphagus Eſau prærogativæ ſuæ negligentiſſimus, tam ſceptri quam Sacerdotii jus ampliſſimum, fatua prorſus temeritate cum

len-

a *Gen. c. 49. v. 2.*

lenticulæ pulmento commutavit. Reges olim Sacerdotes. Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi. Sic etiam Imperatores Romani simul & Pontifices fuerunt. Ea deinde dignitas transiit ad patricios. Galba Imperator, si Suetonio credimus, triplex habuit Sacerdotium. Apud Græcos etiam, & Ægyptios, iidem Sacerdotes qui Reges. Hinc Ieroboamus ingens patravit piaculum, qui, ut Regum fasti memorant, fecit de novissimis populi Sacerdotes excelsorum: quicunque volebat, implebat manum & fiebat Sacerdos. *a*

Iob summum studium in Sacerdotio suo collocabat. Historiæ sacræ testimonium istud est: Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos, *b* & sanctificabat; consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. *Sanctificabat* Parens Sacerdos liberos, ut puri sacris interessent. Nimirum vir optimus, non vanè sollicitus fuit, ne filii & filiæ inter epulas & colloquia pec-

a 3. *Reg. c.* 13. *v.* 33.
b *Liberos suos.*

peccati labem contraxissent; lautiorem mensam accumbere, & gulâ non excedere; multum fabulari; & linguâ non delinquere, nimis quàm rarum. Ergo Iob liberi his nævis purgandi erant antequam sacra obirent. Hoc in Apologetico suo Tertullianus ethnicis usitatissimum affirmat. Hinc illæ voces. *Procul hinc, procul este profani.* Samuel Bethlehemi victimas oblaturus: Sanctificavit Isai, & filios ejus, & vocavit eos ad sacrificium. *a* Mi Deus, nos quotidie non ovium aut taurorum victimis, sed sacris intersumus purissimis, & quomodo sanctificamur accessuri! ubi post flagitia sincerus de peccatis dolor, ubi firmum animi decretum non repetendi noxas? In templa irruimus profani, nonnunquam etiam ebrii, aut à recenti libidine contaminati divinos oculos subire non veremur. Hîc Samuelis voces usurpandæ forent. Sanctificamini, & venite mecum ut immolem. Ita Iob Sacerdos sanctificabat sobolem ad sacrificia ituram, & *offerebat holocausta*

a 1. *Reg.* c. 16. *v.* 5.

causta pro singulis. a nimirum victimam singularem unam pro singulis. Interpretes septuaginta significant fuisse vitulos. Ita quovis sacrificio pro decem liberis decem immolabantur vituli. Illud etiam observandum. Etiamsi Iobus liberorum circularia convivia tulerit, propagandæ inter suos concordiæ causâ, ipse tamen ea non accessit. Iob Sacerdotio dignissimus.

Nam & liberos suos sanctè educavit & omnem familiam ad mores probos formavit. Optimus hic Pater nihil inverecundi aut fœdi, nihil insulsi, nil degeneris in suis pignoribus deprehendit. Pudica verba, honestæ actiones, omnia ad integritatem & innocentiam composita: Nihilominus vigilans ac sollicitus Pater, ad interiorem hominis statum, & ad ipsas suorum cogitationes attentus: Ne fortè, inquit, peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Interpretes septuaginta his verbis utuntur: Ne fortè filii mei in mente suâ cogitaverint mala ergaDeũ. Non vere-

a *Iob.* I. *v.* 5.

verebatur Iob ne liberi ſui *benedicerent*, ſive, ut interpretantur aliqui, verba impia in Deum jacerent; hoc ſanè non timuit; ſanctiùs eos inſtruxerat, ſed ſuſpicari poterat & ſubvereri, ne forſan illi ſeſe inſolentius efferrent, & ſua ſtemmata, ſuas divitias, honores ſuos ac titulos jactàntiùs prædicarent, &, quod poſt convivia fieri amat, jam ſaturi parum gratiarum Deo agerent. Hebræis præcepta erat gratiarum actio poſt menſam. Ita Moſes Dei loco imperans: Cùm comederis, inquit, & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo. *a* ſunt qui conditori referant gratias, ſed ingratas: nam, uti Zacharias vates teſtatur, ubi ſatis egerint prædarum, ne ingrati videantur, dicunt: Benedictus Dominus, divites facti ſumus. *b* Ita Iob formidabat, ne fortè ſui liberi Deo gratias parum gratas egerint, ne forſan aliquas noxarum ſordes contraxerint cogitationibus non laudandis. Videte quam hic externus princeps & optimus

Sacer-

a *Deut.* c. 8. *v.* 10.
b *Zach.* c. 11. *v.* 5.

Sacerdos ipsa etiam interiora curet. Malum est in orbe latè patentissimum, exterioribus occupari, potiora & quæ animi sunt negligere, decimare mentam & anethum, & cyminum, & relinquere quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem. *a* Ita culicem colamus & glutimus camelum; mundamus quod deforis est calicis & paropsidis, immunditiam interiorem non tanti æstimamus. Pharisæi cæci! mundandum prius, quod intus est calicis & paropsidis. Iobo Sacerdoti curæ est, ne filii sui in cordibus suis Deum offenderint.

Nonus titulus: IOB PROPHETA. Augustinus hoc eum nomine dignatus: similiter, inquit, & Iob prædicat, eximius Prophetarum. In carne meâ videbo Deum. Quod de illo tempore prophetavit, quando Christi Deitas habitu nostræ carnis induta est. *b* Hieronymus hoc idem vaticinii donum illi

a *Matth. c. 23. v. 23.*
b *Aug: tomo. 10. serm: 2. de Nativ: qui est serm: 6. de temp.*

illi tribuens in ista Iobi verba: Scio quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum. Quid hac prophetiâ, inquit, manifestius? Nullus tam apertè post Christum de resurrectione loquitur. *a* Pari animò Gregorius Iobum Prophetam dicit. *b* Martyrologium tam Romanum quam Græcum prophetæ nomine Iobum honorat. Non autem vaticinatus est Iob, uti Isaias & Ezechiel: ideò illis non annumeratur, sed ut Moses & David. Eam etiam ob caussam apud suos interpres sacrorum & Ecclesiastes fuit. Hoc genus officii Paulus explicans: Nam qui prophetat, ait, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. *c* Iob igitur Propheta.

Decimus titulus: IOB MARTYR. Theologi de martyrio differentes, ad obtinendam martyrii palmam sufficere ajunt letaliter sauciari ob Christum, & ob fidem.

a *Hieron: tomo 2. ad Panmach. post med.*

b *Greg: l. 17. mor. c. 1.*

c 1 *Cor: c. 14. v. 3.*

fidem. Et rectè Chrysostomus: Patientia est, inquit, quæ martyres facit, *a* Videbis, mi lector, letalissimè sauciatum, in doloribus summis ab omnibus desertum, non irasci, non maledicere, non verba impia proferre. Hoc martyrem facit. Quod Chrysostomus stylo uberiore executus: Job multis martyribus, inquit, acerbiora passus, per omnia rerum genera luctatus palmam obtinebat. Ecquem igitur martyrem hic non æquet? imò verò sexcentos. Ob eam caussam à me dictum est. eum non uni aut tribus sed sexcentis martyribus æquandum esse. *b* Optimè dixit Augustinus. Non pœna, sed caussa facit martyrem, Neutrum hìc deest; pœna gravissima, caussa optima. Quod autem martyri tyrannus, hoc erat Iobo Diabolus. Exempli gratia: Laurentium instigans Decius: Aut nega Christum, ajebat, aut morere. Nunquid & Iobi uxor pæne idem ingerit? Benedic Deo, & morere

E Illic

a *Chrys: in Ps. v. 27.*
b *Chrys: hom. 1. in 2. Cor: c. 1. & ho: 25. ad pop.*

Illic ex ore Cæſaris loquebatur dæmon, hic ex ore mulieris: Ibi Tyrannus voluit negari Chriſtum, hîc Diabolus voluit maledici Deum. Ut ergo impiæ in Deum voces extorquerentur à Iobo, omnes inferorum machinæ in unum Iobi caput conjurarunt. Ideò Chryſoſtomus audacter: Date veniam, inquit, liberè loquenti: Si non fuit major Apoſtolis beatiſſimus ille Job; certè non minor, meo judicio fuit. Et ratio ſit: Singulari ſolatio ac robori fuit Apoſtolis, pati ob Chriſtum, qui ſuis id toties inſtillabat; propter nomen meum, propter Filium hominis. Hac conſolatione Iobus carebat, nihilominus ut Martyr conſtantiſſimus, agebat.

Undecimus titulus *Iob Chriſti & patientiæ typus*. De patientiâ nos infrà ſuo loco. De typo Servatoris hîc ſermo: Si ullus in lege priſca Chriſtum, patientiam, mortem, reditum ad vitam luculentè adumbravit, Job id eximiè præſtitit patiendo. Audi Tirinum noſtrum recens editum, omnia in pugnum contrahentem, quibus in rebus Iob

figura

figura & typus fuerit Christi. 1. Iob fuit Rex Idumææ, Christus Rex cæli & terræ. 2. Iob excidit omnibus bonis & opibus suis. Christus omnibus etiam vestibus exutus nudus pependit in Cruce. 3. Iob filiis simul omnibus & filiabus unâ horâ privatus fuit: Christum captum omnes ejus Apostoli deseruerunt. 4. Job omnes penè morborum & dolorum species sustinuit, ulcerosus à capite usque ad talos: Christi totum Corpus flagris concisum; manus, pedes clavis; caput. spinis confossum fuit, & omnia membra doloribus acerbissimis excruciata. 5. Job in animo sensit ingentem mœrorem, tædium, scrupulos, anxietates: Christus in horto cæpit pavere, tædere, tristari & mæstus esse ad mortem usque. 6. Job ab amicis quoque, imo & à propria uxore gravia probra sustinuit, dictus impius, Hypocrita, tyrannus, Leo, tigris: &c. Christus à principibus Sacerdotum & Magistratibus, adeòque totâ Synagoga audivit impostor, blaphemus, seditiosus & quid non? 7. In Jobo

vexando & affligendo dæmon laxatis sibi à Deo habenis omnes suas vires exeruit: sed multo magis exeruit in Christum. Iob queritur se ab omnibus, 8. etiam ab intimis amicis derelictum: Christus etiam ad Patrem suum cælestem exclamat: *Vt quid dereliquisti me?* 9. Iob omnia hæc mala sustinuit incredibili patientia, humilitate & constantia, sed exclusâ morte: Christus usque ad mortem inclusam, mortem autem Crucis. 10. Iobo reddita omnia duplicia, Christo omnia centuplicia. Hæc Tirinus de figura & typo Christi in Jobo; nunc paucis exequendum, qui hoc ævo Prophetæ, qui martyres sint.

De Prophetis Paulus: Volo, inquit, omnes vos loqui linguis, magis autem Prophetare *a*. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguas, nisi fortè interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod insaniatis? si autem omnes prophe-

a 1 *Cor. c.* 14. 5. 23. *&c.*

tent,

tent, cadens in faciem suam adorabit Deum, pronuncians, quod verè Deus in vobis sit. Itaque Fratres æmulamini prophetare. Hîc gentium Doctor enumerat, quid olim in Christianorum conventu sit gestum; aliqui precationes, psalmos, cantiones linguis componebant diversis, & alios præibant voce, sequebantur ceteri cantando & precando. Hinc psalmi, doctrinæ, apocalypses, linguæ, interpretationes. Hæc omnia complexus Paulus linguarum donum appellat. Alii verò è sacris bibliis certum quid prælegebant & explicabant, exhortati alios & concionati, nonnunquam etiam de rebus futuris arcani aliquid elocuti. Hoc omne Paulus Prophetare vocat; & præ aliis omnibus commendat.

Christus, ipso die quo ad vitam rediit, peregrinum induens & duobus viæ comitibus sese adjungens; Qui sunt, inquit, hi sermones vestri? Et qui, obsecro sunt sermones nostri? De rebus præsentibus omnes: rari aut nulli de futuris. Hinc volant illæ voces. Amo, amas, amat.

pe amat. Ego recipio pecunias, ille pecunias expendit; isti mendicant, illi erogant; isti amant, nos odimus; vos amatis, isti odio habent. Et quamvis dicamus, cras, perendie, sequenti hebdomade, post biennium aut triennium, post sexennium aut septennium; hæc tamen omnia indicativi modi, & præsentis temporis sunt. Jacobus Apostolus hoc sermonis genus reprehendens: Ecce nunc, ait, qui dicitis, hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in crastino. *a* Hæc omnia sunt præsentia, incerta, vana, fluxa, caduca. Sunt alia, sed futura, sed æterna. Ubi de his sermo? quis de inferorum suppliciis, de paradisi gaudiis instituit colloquium? Fratres, æmulamini prophetare de iis, quæ vitam hanc consequentur: de damnatorum pænis, de justissimis Dei judiciis, de beatorum delitiis; de cælo cogitate, de cælo loquimini, de hoc eodem concionamini, & vobis ipsi, & aliis;

a *Jac. c. 4. v. 13. & 14.*

& aliis; audiamus hîc Prophetias vestras: qui prophetat, Ecclesiam ædificat; potestis omnes per singulos prophetare, ac dictâ ratione loqui de futuris.

Ruffinus Aquileiensis memorat Paulum simplicem Antonii discipulum magno animi candore interrogasse, num prophetæ priores fuerint, an prior Prophetis Christus. Antonius ob quæstionis imperitiam silere illum jussit & abire. Bonus hic juvenis ævum præteritum & retro actum capere non potuit, nos illo pænè rudiores ævum futurum ægerrimè capimus. Hîc stupor noster plurimum hallucinatur; in longitudinem, in æternitatem nobis non consulimus, res post futuras, uti possemus, minimè prænoscimus. Itaque Fratres æmulamini prophetare. Cogitationes vestræ & sermones vestri omnes futura spectent, ad Immortalitatem, ad beatitudinem, ad æternitatem extendantur. Non habemus hîc manentem, civitatem, sed futuram inquirimus. a Hæ Christianorum

a *Hebr. c.* 13. *v.* 13.

prophetiæ, hæc eorum ſunt vaticinia.

Quod martyrium attinet: Verè patiens martyribus jure accenſendus. Nam, ut Gregorius loquitur, ſine ferro & flammâ martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in corde veraciter cuſtodimus. Chryſoſtomi dictum eſt: Patientia facit Martyrem. Omnes purpurati heroës, omnes Chriſti martyres, omnes patientiæ ſectatores ore hilari pronuntiant:

Vireſcit vulnere Virtus.

Quò plura vulnera, eò plura trophæa; quo majora ſupplicia, eò ampliora præmia; quò afflictiones diuturniores, eò coronæ illuſtriores: plures dolores delitiæ ſequuntur copioſiores. Vulneribus gaudet virtus. Virtutis ſanctius ærarium ſunt miſeriæ, calamitates & ærumnæ. Martyr agnoſcitur non inter roſas, ſed inter candentes forcipes & cataſtas: Scio, inquit Annæus, alios inter flagella ridere, alios gemere ſub colapho. *a* Sunt homines adeò

a *Seneca epiſt*: 13.

eò delicati, quos si obliquo ferias oculo, aut pede tangas incauto, mox fulminant, coquunt animo vindictam & grande malum. Non sunt hi martyres, non sunt. Miles Christi diriora tolerat, & tamen patientiam spirat. Ille athleta est secundum Senecam, qui fudit sanguinem suum, cujus dentes crepuerunt sub pugno; ille, qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus; qui quoties cecidit, contumacior, nos dicamus fortior, surrexit. a O Christiani, licet nos variarum calamitatum grando insternat & dejiciat, robustiores surgamus, etsi dentes nostri pro pane glutiendi, etsi sanguis noster propinandus Christo, non trepidemus; hæc difficilia non sunt verè patienti. Patientia facit martyres, patientia facit reges, facit beatos.

Ambrosius Martyrem inter ipsa constituit pericula, ubi jam inde immanitas bestiarum infremat, inde terribiles rotæ, candentes laminæ exæstuantis fornacis flammæ

 minen-

a *Sen. ibid.*

minentur: ex parte aliâ gravium catenarum tractus personent, hinc cruentorum carnificum globus assistat: Ex altera verò parte considerationi sese ingerat lex Dei, divina voluntas, ignis æternus & duraturum sine fine incendium. Hic medius martyr hæret aliquantulum & expallescit ac tremit: Mox resumpto animo: Cede timor, inquit, præstat hîc millies mori, quam illic æternum. Toleremus præsens, ne perpetuum incurramus exitium. Momentum est quod cruciat, æternum erit quod delectabit.

Ita & nos cum Martyribus dicamus: Levi fit momento, unde tota gaudeat æternitas. Hæ tristiores morulæ beatiori vitæ præludunt, Agedum animosè. Toleremus brevi finienda. Hæc via ducit ad cælum; aspera quidem & dura, sed secura.

CAPUT VI.

Iob Sanctus ostenditur.

THales ſapientiâ famoſus interrogabatur, in quo ſita eſſet felicitas, & quem ille cenſeret felicem. Ad quæſtionem vir ſapiens: Scitis, inquit, hominem geminâ conſtare parte, animo & corpore; Homo felix cenſendus, ſi corpus habeat ſanum, & animum eruditum atque caſtigatum. *a* Corpori pretioſiſſimum ſit ſanitas, animo ſana & perſpicax intelligentia. Ita Thaletis ſententiâ ſanitas, & eruditio, ſeu caſtigatio, ſunt hominis felicitas.

Divinæ providentiæ ad theatrum hactenus perſedimus & ſpectavimus Jobum corpore animóque felicem; qui corpus ſanum ad annum uſque ſeptuageſimum vivendo perduxit; intelligentiâ verò fuit tam perſpicaci & eruditâ, ut non ſolùm in ſuo Regno, ſed in omni ejus ambitu haberetur ſapientiſſimus. Ut autem illi ad omnem felicitatem

a *Laërt: l.* 1. *c.* 1.

tem nil deſit, ita brevî â Deo caſtigabitur, ut verè dici poſſit mortalium caſtigatiſſimus. In primâ hac theatri parte vidimus Iobum Opulentum, Doctum, Honoratum, Regem regum, Pium, Felicem Fidelem, Sacerdotem, Prophetam, Martyrem Chriſti ac Patientiæ typum. Reſtat videre Jobum etiam Sanctum. Sed exſpectate paululum, brevî hæc omnia indicabuntur funditus everſa. Paullò poſt vociferantem audiemus Jobum: Spoliavit me gloriâ meâ, & abſtulit coronam de capite meo. Deſtruxit me undique, & pereo. [a] Job hactenus ſemper Felix & Continens. Felicitatis & Conſcientiæ coronis Sanctitas, de quâ hoc capite agendum, & unà etiam diſquirendum, quomodo ad ſanctitatem cuicunque volenti liceat pervenire.

Duodecimus Jobi titulus, JOB SANCTUS. Hoc ei nomen Martyrologium tam Græcum quam Romanum tribuit; illud octavo, iſtud decimo die Maji Cæſaris Baronii verba ſunt. In terrâ Hus

ſancti

a *Iob. c. 19. v. 9.*

sancti Job Prophetæ, admirandæ patientiæ viri. Deus olim ad Ezechielem vatem: Fili hominis, ait, terra, cum peccaverit mihi, &c. immittam in eam famem & interficiam de ea hominem & jumentum. Etsi fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job: ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas. *a* Utique Triumviri isti Deo amici fuerint, quos ex infinitâ hominum multitudine, ut familiares, nominat sibi probatissimos. Hinc Chrysostomus de patientiâ Jobi disserens: Quis, inquit, tentabit immensum hoc laudum pelagus ingredi? Job encomiis nostris omnibus sublimior, Crede mihi hoc, Lector, ubi audieris quot & qualibus conflictatus, quæque alia sit passus, hominem dices ferreum aut chalybeum, invictæ patientiæ virum fuisse, quamvis ipse de se testatus dixerit: Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est. *b*

Antequam Iob in extremas illas ca-

a *Ezech*: c. 14. v. 14.
b *Iob*. c. 6. v. 12.

calamitates præcipitaretur, Ange-
lus, Dei personam sustinens, caco-
dæmonem allocutus: Nunquid con-
siderasti, aït, servum meum, quòd
non sit ei similis in terrâ. a Cogi-
temus terrarum Orbem amplissi-
mum, & forsan, quam nunc, popu-
losiorem & multos in eo milliones
hominum, inter quos illo ævo viri
etiam sancti fuerint non multùm de-
generes à Jacob, Joseph, aliisque:
nihilominus hic unus homo, Idu-
mæus iste, hic Arabs Jobus, ita Dei
oculos in se flexit; ut hoc ei tribua-
tur encomii: *Non est illi similis in terrâ.* Si Deus è trecentis aut ex
millenis hominibus unum sibi cha-
rissimum ex omnibus demonstraret,
quanti hoc testimonium, quanti laus
ista fieret? Domus ampla & auro
plena tanti sanè non esset facienda,
quanti est ore divino tam insigniter
laudari? Et quid trecenti quid mille
homines sunt ad Orbis totius innu-
meram multitudinem: ex hac ho-
minem unum tam singulariter lau-
dari præ aliis omnibus, pænè lau-
dis est infinitæ. Sunt subinde in
Gym-

a *Iob c.* 1. *v.* 8.

Gymnasio litterario mille quadringenti discipuli, ex his si juvenis unus ceterorum omnium tam solutá quam ligatá, tam Græcâ quam latinâ dictione doctissimus dicatur qui parem sibi aut similem non habeat; laus certè nobilissima, & quæ curiositatem humanam acuat, videndi hunc juvenem, tametsi rustici forsan sit filius.

Quantus ergo Job, & quam incomparabili laude major, qui non solum inter quater decies centena millia, nec inter quatuordecim milliones hominum probissimus & sanctissimus, sed omnibus ævo illo viventibus probior & sanctior. *Non est ei similis in terrâ;* Homo verè sanctus.

Hæc sanctitas, quæso, in quo consistit? Verbo dicam: Qui divinæ voluntati conformior, aut qui sui ipsius contemptu submissior, aut qui perferendo ac tolerando patientior, hic certè sanctior: sanctissimus qui patientissimus, aut qui humillimus, qui nutibus divinis obsequentissimus.

Quomodo autem Job obsecro ad

ad hunc ſanctimoniæ gradum aſcendit? Vir erat ſimplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo. Quiſque ſuos mores, oro, ad quatuor hæc capita examinet. Et primò quidem, quàm non ſimplices ſumus, ô Deus! quàm autem callidi, quàm aſtuti & vafri! quàm tortuoſi & multiplicis ingenii, quàm verſuti & fallaces, quàm cauti & ſubdoli veteratores, quàm captioſi & inſidioſi, quàm docti & peracuti fallere! Si nummus in controverſiâ ſit, fraudes, machinæ, doli, captiones & deceptiones innumeræ ſunt: quàm nemo hîc ſimplex. Sed conſiderate hîc veram ſimplicitatem, quàm ea divinos oculos ad ſe trahat. Laus ſumma; Vir ſimplex & rectus. *a* Ejus ſinceritatis Iob omni vitâ fuit, ut bonam conſcientiam ſemper habuerit. Hinc peccati nullius ſibi conſcius: Neque enim, inquit, reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ. *b* Non ſe peccaſſe negat, ſed quæ peccavit, mox iterum fuiſſe deprecatum affirmat.

Capia-

a Schlecht und Gerecht.
b *Iob. c. 27. v. 6.*

Capiamus obſecro hoc vitæ melioris compendium. Peccaſti & lapſus es? Mox à lapſu reſurge. Lapſus es centies? centies reſurge. Lapſus es millies. millies reſurge, vel *Actu amoris*, vel, *Actu doloris & contritionis*. Actus, ſeu, quod idem, cogitatio amoris eſt iſta: Mi Deus, tuam legem poſthac integrè ſervabo, in iis præſertim, in quibus eam hactenus neglexi. Amoris hic actus eſt. Doloris ſeu Contritionis erit hoc modo. Mi Deus, te ſummum bonum offendi, ſed facti me pœnitet; non faciam amplius, quod feci. Modò iſta ſeriò & ex animo cogitentur aut dicantur, præſentiſſimam peccatis exhibent medelam. Ita poſſumus nos horâ qualibet apud Deum in gratiam reponere, ſi gratiâ hac tantâ velimus uti. Ratio eſt; quia gemini illi doloris & amoris actus commiſſas labes mox emaculant. Peccata & dolor de peccatis ſimul habitare non poſſunt: Amor divinus & noxarum turpitudo eodem corde non morantur. Sin iſtud remedii genus negligamus, & interim

 deli-

delictorum cumulos augeamus, assiduè reprehendet nos cor nostrum, æterna salus continuis objecta periculis nutabit.

Sed ad Jobum redeo, qui tam nobile factus est spectaculum Angelis, Mundo & hominibus, & Deo tantopere placuit, ut Deus undequaque velit concurrere spectatores: è cælo Angelos, ex inferis Diabolos, è terris homines. Idcirco quoque Satanam, cælestis curiæ Præses interrogat: Nunquid considerasti servum meum Job? Laus summa, dici à Deo, *Servum meum.* Tu gloriaris Cacodæmon, quod terram, velut illius Dominus perambulaveris; ego autem de meo fideli servo, qui mihi charior est orbe, & omnibus in Orbe hominibus. Scipio Numantinus amore in suos cives dixisse fertur: Malo unum Romanum servare, quam omnes Numantinos, etsi hostes, occidere. Pænè idem hîc dici poterit: maluisset Deus Orbem universum, maluisset omnes pænè homines amittere, quam Job unicum non servare. *Non erat ei similis in terra.*

Videte,

Videte, obſecro, quanti momenti ſit divinis oculis placere, Deo ſincero corde ſervire. Hæc nobis & dies & noctes cogitanda. Ingenium ſæpe rebus vaniſſimis conſumimus, Huc noſtrum omne ſtudium, huc curæ ac ſollicitudines univerſæ forent convertendæ, ut digna Deo exhiberetur ſervitus. Nos quidem animum verſamus per plurima, ſed non per iſtud: curam ac ſollicitudinem innumeris rebus injicimus, ſed non oculis divinis in nos derivandis. Hîc triplex ſuggero documentum.

Primum: ſumma Iobi ſanctitas jure nobis veneranda. Diabolus acutiſſimus ſanè ac perſpicaciſſimus accuſator, centoculus, ac millooculus Panurgus, quod enim mille homines non vident, hoc ille pervidet argutiſſimè. Cùm ergo illi ſenatus Angelorum feciſſet poteſtatem dicendi contra Iobum, quicquid poſſet aut ſciret, quicquid in Iobo videretur reprehenſibile. An non putatis mendaciſſimum hunc calumniatorem vaferrimè ſcru-

a *Pined. p. 63. 2.*

tatum esse, ut quidpiam criminis in Iobum posset devolvere. Nihilominus hic subtilissimus spiritus, insidiosissimus hic Argus, & artifex celerrimus, qui dies noctesque nos nostrasque actiones arbitratur, nil aliud reperit, nisi quod improbi solent objicere; solam intentionem Iobi, (quam plerumque nec scire solet, nec facilè potest) calumniatus. Numquid Job, ait, frustra timet Deum. En Calumniam! Intentionem seu agendi animum carpit, cum carpere non possit actiones. At Iob verè sanctus: Hinc Origenes illum ceteris omnibus illius ævi etiam Patriarchis præferens: Magnus, inquit, erit Abraham in fide, sed excellit illum Iob in tolerantiâ: Magnus erat Iacob in cordis munditia, sed non fuit illo minor Iob in misericordia. Omnia quæ fecerunt sancti, fecit etiam Iob: quod autem sustinuit cum gratiarum actionibus, hoc nullus alius sustinuit. Abrahamo unus erat filius amittendus, Iobo decem simul liberi sunt amissi fato mæstissimo. Iob præsigni sanctimoniâ ornatus.

Alte-

Alterum: summa Jobi sanctitas non veneranda solùm sed & imitanda nobis est. Nec difficulter ad sanctitatem istam perveniri potest. Cui quæso facilius servitur, Deo an Satanæ? Qui autem non est Dei Servus, Servus est peccati. Inter hanc utramque servitutem non est medium. Et certè qui recusat famulari Deo, famulatur Diabolo. Non servis Deo? Ergo peccato. Si peccato? Ergo carni, ergo mundo, ergo Diabolo. Horribiles sunt isti non tam domini quam tyranni: quos populo suo interminatus olim Deus: cum diceret: quia mihi detrectatis servire, Servietis, inquit, ibi diis alienis, die ac nocte, qui non dabunt nobis requiem. *a* Job simplex & rectus serviebat Deo: Hæc illum servitus ad istud sanctimoniæ culmen evexit, hunc ei titulum, SANCTUS, comparavit. Sed quomodo ad sanctitatem istam perveniendum?

Tertium ergo est, obtinendæ sanctitatis via non difficilis. Servus

a *Hierem: c.* 16.

vus Domino suo exactissime serviturus, non solum Domini vocem, sed & oculos, & manus loquentes, atque adeò omnes dominicos nutus attendit. Ante omnia ingenium Domini explorat, quid velit & cupiat, quid aversetur & respuat: quamquam hoc in rebus humanis sæpissime fallat. Nam si Domini genius afficiatur comessationibus nimium crebris, recreationibus, fatuis, ludicris, illicitis, consortiis parum honestis, pecuniis improbè partis, lusibus prohibitis, laboribus in dies festos peccantibus, malè fecerit servus, si omnem ad hæc operam addicat: rectissimè aget, si Domino nihil, nisi quod honestum & rectum est, imperanti accuratissimè obtemperat. Ita Jobus ad divinas voces Deiquè leges, ad divinos oculos & nutus se totum, quantus quantus erat, conformabat: quicquid sciverat Deo placere, hoc & ipse probabat, quod Deum noverat aversari, hoc & ipse horruit & aversatus est. Verbo dicam. Verissimum Jobus Heliotropium fuit; ad apertum solem aperiebatur, ad absconditum claudeba-

debatur, ad obliquum sese obliquabat, quocunque demum sol divinus se flexisset, eò etiam Jobus continuò convertebatur. Sol noster Deus & voluntas divina, huc suum quisque animum attollat, ad omnem solis flexum se flectat; placeat ipsi quod placuerit Deo, displiceat, quod Deo displicuerit, velit quod vult Deus. Hæc vera verissima est sanctitas; sincera cum divina voluntate conformitas. Quantò autem hæc conformitas est major & sincerior; tantò etiam quivis sanctior est. Hinc aureus ille titulus emergit SANCTUS.

Sunt in Orbe summorum principum speciosa nomina, formosissimi tituli: Potentissimus, Serenissimus, Augustissimus, Invictissimus, Beatissimus. Hos unus omnes superat SANCTUS; modò à cælesti curiâ decernatur. nomen enim Deo proprium est Ecclesia teste, dum canit, *Tu solus Sanctus*. Sed humanissimus Deus nominis istius amplitudinem nobiscum dividit. Quod affirmans Petrus: sancti eritis, inquit, quoniam ego sanctus

ctus sum. *a* Cujus ergo voluntas cum divinâ conformis est, ille sanè sanctus est; cujus conformior, ille sanctior; sanctissimus, qui conformissimam cum divinâ gesserit voluntatem.

a 1. *Petri*. c. 1. *v*. 16.

THEATRI DIVINÆ PROVIDENTIÆ PARS ALTERA adornatur.

CAPUT VII.

Iobus Calamitosus, sed Patiens.

HEbræus sapiens ut lætitiam nimium exuberantem comprimat, sapienter vaticinatur: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat. *a* Lætitiæ novissimum tristitia, quemadmodum diuturna cæli serenitas plerumque clauditur tempestate. Roma-

a *Prov*. 14. *v*. 15.

manus Comicus a eruditè dixit:
Quamobrem omnes, cùm secundæ res
sunt maximè, tunc maximè
Meditari secum oportet, quo pacto ad-
versam fortunam ferant.

Hæc dulcium & amarorum, tristium & lætorum perpetua est mixtura in vitâ humanâ; fel & mel ubiq; sibi sunt proxima. Hilaritas & mœror mutuis sese vestigiis premunt, & ubi lusus desinit, illic incipit luctus.

Spectavimus hactenus in divinæ providentiæ theatro partem primam. Jobus in amænissimis hortis velut in Paradiso collocatus à Deo, vitam ex omni parte beatam vivere cædebatur: nec opes, nec scientiæ, nec honores defuerunt. Titulis jure meritissimo gaudebat omnibus istis.

JOBUS.

1. Opulentus.
2. Doctus.
3. Honoratus.
4. Rex Regum.
5. Pius.
6. Felix.
7. Fidelis.
8. Sacerdos.
9. Propheta.
10. Martyr.
11. Christi ac patientiæ typus.
12. Sanctus.

a *Terent. in suo Phormione act. 2. scena 1.*

Job veré felix, felicissimus; sed una etiam continens, continentissimus.

Subitò versa omnia. Nunc ergo alteram theatri partem spectamus quæ cuncta non solùm atrata, sed quadruplices diras exhibet imagines, lamenta inferorum, Mare naufragum, atrox incendium, Ruinam ædium. Hac parte Jobus Calamitosus sed patiens spectabitur. Eò autem ærumnarum venit, ut omnes omnino facultates perdiderit, ultra viginti morbis teterrimis laborarit, vitam duntaxat, sed ipsâ etiam morte multo acerbiorem retinuerit. Neque hæ calamitates pauculos dies, aut hebdomades non multas, sed ipsum septennium totum tenebant. Obstupesces, Lector, ubi particulatim audis, quomodo Deus servum sibi charissimum exercuerit. Hæc in divinæ providentiæ theatro pars altera est.

Sed causas forsan quærimus tot ærumnarum, uti Apostoli quondam de cæco quærebant: Rabi, quis peccavit, hic an parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Quibus respondit

dit Christus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. *a* Idem de Jobo dicendum.

Sed ubi quæso, & quomodo, aut quam habuerunt originem tam infandæ calamitates? Hoc jam ordiemur dicere. Et primo quidem loco explicabimus, quâ ratione Jobus in senatu ac consessu Angelorum à cacodæmone graviter sit accusatus tanquam Hypocrita, & quomodo accusator à cælesti curiâ potestatem acceperit in omnes Jobi facultates pro arbitrio eripiendas. Deinde, quomodo divina providentia in his omnibus sit respicienda.

Senatus ac consessus Angelorum à scriptore sacro his verbis describitur. Quadam die cùm venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satán. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram, & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum: Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non

a *Ioann*: c. 9. v. 2.

non sit ei similis in terrâ, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Cui respondens Satan ait: Nunquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus? universamque substantiam ejus per circuitum? operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terrâ: Sed extende paullulum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet; nisi in faciem benedixerit tibi. *a*

Hæc Diabolus accusator fratrum, calumniator hominum, unde & nomen traxit, in conventu Angelorum evomuit; meram calumniam, ignem Avernalem, merum venenum, invidentiam merissimam. Hypocrita, inquit, est Jobus, qui fictæ sanctitatis gerit palliolum. Nimirum tamdiu probus est quamdiu opulentus est: tamdiu fidelis, quamdiu felix. Tangatur aliquantulum, opes illi eripiantur, devolvatur ad pauperiem, mox in voces impias erumpet, ita simulata sanctitas patebit. Has calumnias in innocen-

a *Iob cap.* 1. *vers.* 6. *& seqq. ad* 12.

nocentem jecit Diabolus in Cælitum ſenatu.

Quis autem ſenatus iſte, in quem etiam Diabolus eſt admiſſus? Num viſio duntaxat aut ſymbolum fuit, an res, prout narratur, contigit? Iſaias, Ezechiel, Hieremias, Daniel, Zacharias plurima per arcanos viſus didicerunt à Deo. Hîc autem non fuit viſio. Deus olim in regem Achabum cogi voluit ſenatum, in quo Michæas vates velut curiæ amanuenſis: Vidi Dominum, ait, ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à ſiniſtris. Et ait Dominus. Quis decipiet Achab regem Iſraël, ut aſcendat & cadet in Ramoth Galaad? Egreſſus eſt autem ſpititus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: in quo? Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies & prævalebis; egredere, & fac ita. *a*

En ſenatum, en curiæ accenſum, aut miniſtrum ſpiritum, en ama-

a Rahtsbott oder Rahtsdiener.

amanuenſem Curiæ, *a* Michæam. Verùm in iſto ſuper Jobi caput concilio amanuenſis Curiæ fuit Moſes, qui prima duo, & ultimum hujus hiſtoriæ caput conſcripſit, cui proinde Deus hæc Senatus Acta patefecit. Hic autem Senatus, ut de Jobo decerneret, convocatus, non viſio, non ſymbolum, non rei imago fuit, ſed verè, prout res memoratur, contigit. Sic Auguſtinus *b* ſentit. Cum Auguſtinum nomino, triginta & plures fide digniſſimos teſtes produco. Cum Auguſtino è recentioribus optimi ſcriptores ſentiunt. *c*

Ergo Angeli, ſeu, Filii Dei convenerunt conſilia collaturi de Jobo. Angelorum unus aliquis Dei Perſonam ſuſtinens Senatûs caput caput & curiæ præſes fuit. Hoc in lege priſcâ frequentiſſimè factum. Quando enim Deus cum Moſe aliiſque ſanctioribus viris locutus per-

a Rahtsſchreiber.
b *Aug: in annotat. in Iob.*
c *Caſpar ſanct. in commentar. Iacobus Salianus tomo. 1. Annal. Eccleſiaſt.*

perhibetur, Angelus Dei Personam functus, Dei vicarius fuisse censendus est. Sat habet Angelorum Deus, quos mittat hoc nomine proreges cæli. Deinde hinc infinitam Dei majestatem licet conjecturare, qui beatis solùm in cælo familiarem sese exhibet, ceterorum nulli copiam sui facit. Dei promissum est? In cœlo me videbitis? Terræ negatur hic aspectus.

Fuerunt igitur Angelorum comitia in Provinciâ Hussæâ, & quod vero simile, ad Augustam Jobi domum. Cùm nos de Angelis disseremus non tantùm cuivis homini, sed etiam cuivis provinciæ ac regno suum tutelarem Angelum assignari diximus, magnis autem fastigiis illis geminos. Ita Salianus asserit Iobo, ut Regi, duos fuisse assignatos Angelos; ejusdem regno unum, Conjungi unum; ita Singuli liberorum singulos habuerunt. Cùm autem Iobi familia fuerit multa nimis, singuli quoque domestici suos habuerunt tutelares Angelos. Hinc frequens & copiosus fuit hic Angelorum senatus. In hunc

etiam Satan velut ſenatorii ordinis & Angelus lucis ventitavit. Sed mox agnitus eſt pedarius hic ex orco ſenator. Erat autem ille ipſe Diabolus, qui Jobo adhæſit ab utero, nec ſuorum infimus, ſed inter dæmonas princeps aliquis, cum auſus ſit dicere: circuivi terram, & perambulavi eam. Ita Daniel locutus: Princeps, inquit, regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus, & ecce Michaël unus de principibus primis venit in adjutorium meum. *a* Hoc Gabriel dixit de cacodæmone quem Perſarum principem appellavit.

Sed objicias: Quid opus hoc Angelorum conventu & concilio? Numquid etiam eminus loquuntur Angeli? Ita ſanè; loquuntur etiam eminus; ſed quia cacodæmon Iobo præſens, grande illi moliebatur malum, Angeli verò cupiebant de rebus quibuſdam certiores reddi, ideò res conventum poſtulavit. Sed hîc tria ſtatuo conſideranda.

Primum eſt, Cultus Angelorum, præ-

a *Dan.* c. 10. v. 14.

præſertim tutelarium, qui nobiſcum veluti naſcuntur. in omni ætate, in periculis omnibus fideliſſimè defendunt; nec deſerunt nos, donec utrique, nos vitâ, illi officio pariter defungamur. Fidiſſimis cuſtodibus iſtis omne obſequium, quotidianus cultus ac veneratio debetur: quia ipſi pervigilant pro nobis. Vide, mi Lector, quæ de horum cultu diximus in horologio noſtro.

Alterum, divinæ providentiæ Contemplatio. Conſilium tuæ providentiæ, mi Deus, conſilium quam non eſt fortuitum. Nec enim caſu horribilis hæc tempeſtas in caput Jobi detonuit, ſed à cæleſti curiâ, ab Angelorum ſenatu ita concluſum ac decretum eſt. Nos hac in re miſerabiliter cæcati, cum res pejus, quam optaveramus, ſuccedunt, modò huic, modò illi culpam impingimus, & illis peſſimè imprecamur: Cùm nemo eſt, in quem hæc conferamus, fortunæ culpam attribuimus, puerili prorſus fatuitate. Hinc illæ voces ſtolidæ: Quàm mihi fortuna nil favet! quam ſiniſtro ſidere ſum genitus! ut me

 malè

male habet acerba sors! Sermones isti & cogitationes infantium sunt, aut insipientium. Nec pilus cuiquam diripitur, sine certâ Dei providentiâ & destinatâ voluntate. Si non pilus, quantò minus centum aut mille floreni, quantò minus fama & bonum nomen mihi rapietur, Deo id non prævidente, non volente? Hæc sunt decreta è cælo. Quæ Jobus agnoscens: Nihil, inquit, in terrâ sine caussâ fit, & de humo non orietur dolor a.

Jobus divinam providentiam contemplatione seriâ expendit, & eorum quæ scripturus erat, solidissimum fundamentum jaciens. Nihil, ait, temere, ac sine caussâ, quod Deus non prævideat ac dispenset. Et de humo, ait, non orietur dolor: nec enim quidquam crescit quod seminatum non sit. Vnde ergo, inquies, tantum lapparum, lolii ac herbarum malarum, in altis præsertim montibus, quo nullus satori est accessus? Adamus sevit protoplastus, qui grana de pomo, quod sublegit terræ mandavit, ea certè hos fructus ferunt.

a Iob. c. 5. v. 6.

runt. Nos quoque ab Adamo seri nepotes, quotidie semen ejuscemodi serimus, quid mirum si talem segetem metamus? Radix juniperorum, ait Job, erat cibus eorum. a Hoc germen pro foliis pungentes aculeos,& meras habet spinas. Quas Gregorius explicans, Spina est, inquit, omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, pungendo lacerat mentem. Semen amaritudinis est peccatum : hoc semen nos quotidie spargimus, & spinas inde nasci miramur. Vnde hæc mihi calamitas, dicimus, vnde tot ærumnæ? unde hæc tribulorum & urticarum seges, unde senticetum istud tot miseriarum? à te ipso, mi homo, tu seminasti hæc germina. De humo non oritur dolor. Deus & divina providentia ita decreverunt, vt qui sic peccant, sic etiam puniantur. Hæc humana mala quæ patimur, suas habent origines, & caussas suas, quas divina providentia nexu mirabili connectit cum earum effectibus. Nihil sine caussâ fit.

a *Iob. c. 30. v. 4.*

Tertium eſt Fidelitatis Conſtantia. Quàm graviter Jobum calumniatus eſt! Nam curiæ cæleſtis præſidi in os objiciens: Tu inquit, gloriaris de fideli ſervo: Tange illum, & mutatam mox cernes fidelitatem. Idem faciet tibi, quod Diis ſuis aliæ gentes faciunt.

Idololatræ Deos ſuos venerabantur, quamdiu illis ad votum fluebant omnia: Eoſdem autem execrabantur, conſpuebant, humi allidebant, pedibus calcabant, deteſtabantur, cùm adverſa premeret fortuna. Ita Sinenſes, quod Petrus Maffejus narrat, cùm res ſunt turbulentæ deaſtros ſuos flagellant & in publicum projiciunt. Talem calumniabatur Diabolus futurum Job, qui ubi ferientem ſentiret manum, mox priſtinam mùtaret fidem, à Deo receſſurus. Eam ob cauſſam adeò urgebat: Tange illum, tange, tange; mox pro ſervo experieris hoſtem.

Hanc fidelitatis conſtantiam probè obſecro penſiculemus, ne infidi aut infideles unquam inveniamur, alioqui Diabolo futuri ludibrium,

&

& justa accusationis materia. Si laudemus Deum, eique ore pleno gratias agamus eo solùm tempore, cum bene nobis est; conqueramur autem & murmuremus, animum spemque abjiciamus, & precationes solitas intermittamus rebus asperis. Ohe! Christiani, hæc certa est fidelitatis inconstantia. Hic ridet ac exultat, hic vincit & triumphat Diabolus. Hic nervis omnibus, hîc quantiscunque possumus studiis contendamus, ut servi permaneamus fideles. Si tacti à Deo & aliquantulum castigati, desinamus Deum diligere, solitis precationibus colere, obsequiis consuetis venerari; contra verò incipiamus oggannire, & Dei providentiam velut dormitantem accusare, mussitare, intra nos fremere ac reclamare. En ethnicos, en verè infideles, en Diabolum jam accusatorem veridicum. Hic nos excitet atque animet fidelissima Jobi patientia, ejusdemque patientissima fidelitas. Dicamus cum Jobo: Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Omnium in me hominum

furor excandeſcat, ego tamen Deum non deſeram; quatiatur Orbis, & in priſtinum revolvatur chaos, ego tamen à Deo non recedam; omnium in me Diabolorum poteſtas deſæviat, ego tamen Deo nihilominus adhærebo. Undique & undique in meum ſolius caput mille, iterumque mille calamitates ruant, ego tamen Deo meo fidelis permanebo. Occidat me centies, occidat me millies, in ipſo tamen ſperabo. Hæc nimirum patiens, hæc vera, & conſtans, hæc Jobæa eſt fidelitas.

Caput VIII.

Sententia in Iobum dicitur & executioni datur.

VT antiquos mores non illaudatos tranſiret, virum è multis millibus excellentiſſimum ſibi ſumens Plinius Major, hæc in ejus laudem recitavit: Cato primus, tres ſummas in homine res, præſtitiſſe exiſtimatus eſt: optimus orator: optimus Imperator: optimus Senator. *a* Hic tantus vir quater & quadragies die dictâ

a Plin. l. 7. Nat. hiſt. c. 27.

dictâ, in jus ambulare juſſus eſt. Hîc ipſe ſibi patronus & cauſſidicus eâ ſemper facundiâ, eâ rationum vi ac pondere dixit, ut nunquam non victor, cauſſâ ſemper vicerit.

Æſchines orator Græcus in Demoſthenem concitatiſſimæ linguæ, affirmat Ariſtophontem apud Athenienſes eſſe gloriatum publicè, quod quinquies & nonagies in judicio accuſatus, cauſſam ſemper obtinuerit à culpâ omni abſolutus.

Arabicus princeps, Huſſæus Rex Job, ſemel tantùm accuſatus, quamvis innocens, quamvis à jam noto & mendaci calumniatore Diabolo, nihilominus Job in judicio hæſit & litem perdidit: nam traditus eſt accuſatori, qui eum vexaret, peſſundaret, ſpoliaret ad arbitrium. Judicia Dei abyſſus multa, *a* abyſſus plurima, infinita! Mi Deus, quàm mirabilia ſunt ad tuum tribunal jura, quam inuſitatæ diſceptationes, quàm inſolentes ſententiæ! mendaciſſimus accuſator cauſsâ eſt ſuperior, vir ſincerus & innocens, vir juſtus & mentis optimæ cauſsâ ca-

a *Pſal. 36. v. 7.*

dit : Virtus trahitur ad ſupplicium & plectitur, ſatanas omnium vitiorum inventor & auctor tripudiat, & cum plauſu, quod vult, impetrat. Abyſſus multa, Dei judicia, inexhauſtum, inſcrutabile, immenſum pelagus, tribunal divinum. Verè Job dixit: Quis poterit ſcrutari vias ejus, aut quis poteſt ei dicere? Operatus es iniquitatem. Ecce, Deus excelſus in fortitudine ſuâ, & nullus ei ſimilis in legislatoribus. *a*

Agedum ſententiam in Jobi caput pronuntiatam penitius inveſtigemus. Et primo quidem loco explicandum, quale nam decretum cæleſtis curiæ Præſes in Iobi facultates fixerit. Altero, quam promptè ac celeriter. Diabolus illud exequi cæperit. Ita primum è quatuor mæſtiſſimis nuntiis audiemus. Adeſte animis.

Ubi Diabolo, data eſt actio, ſpecioſiſſima illius poſtulatio nec colore nec fuco caruit. Iobus Dei famulus, ajebat veterator, videri poteſt fuiſſe hactenus fidelis. Credam equi-

a *Iob. c. 36. v. 23.*

equidem, si fidem faciant experimenta. Iob bonus est, dum illi bene est. Felicitas placidos habet mores. Tolle felicitatem & summa erit morum asperitas: dum Iobus bene pascitur, bene loquitur; fames eum exerceat, & sermones multo alios observabis. Ventosa pila est Iobus, volat illa dum est integra, vel paululum eam perfora, & alas ei abstulisti; flaccidum jacebit corium. Iobi sanctimoniam opes fulciunt, honores stabiliunt, res secundissimæ in altum evehunt, tolle opes, adime honores, rebus asperis exerce, & tota Iobi sanctimonia collabescet. Animus ad inopiam & contumeliam inexpertus, ubi eum injuria & paupertas afflaverit, repente concidet, velut paralysi tactus. Vera me dixisse, docebit experientia.

Non beningnè solùm excepta est accusatio ista, sed sententia mox lata, & Iobus innocens decreto notatus gravissimo: Decreti verba sunt. *Ecce universa quæ habet, in manu tuâ sunt; tantùm in eum ne extendas manum tuam.*

Sed ubi criminis depulſio, ubi apologia & patrocinium? quis propugnator Iobi aut defenſor? Ergo Iob nunquam auditus & tamen damnatus? Nos hactenus legem hanc certam cenſuimus: Qui ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ, æquum licet ſtatuerit, iniquus eſt. Pars certè utraque audienda, quod hîc minimè factum.

Nihilominus quis poteſt Deo dicere? Operatus es iniquitatem. Hic contemplemur divinæ providentiæ theatrum. Nulla Iobo illata eſt injuria, nec ſpatium ſui colligendi ſubtractum. Deus ab ipſo ſtetit, ipſius defenſor & advocatus fideliſſimus. Hæc autem ab omnibus retrò ſæculis prævidit, & ad punctulum dimenſus eſt. Pergat modò accuſator, & omnibus ſuppliciis exagitet Iobum, patebit ſuo tempore criminatio, & innocentia Iobi.

Obſervemus hîc, non ſemper ſanctitatis aut divini favoris eſſe indicium, continuò, quod petitur, impetrare; nec etiam ſignum eſt iræ divinæ, ſi rogantis deprecatio ferat repulſam. Summus Dei hoſtis Diabolus,

bolus, statim impetravit, quod postulavit. Moses Deo amicissimus quiddam petiit, & exauditus non est. Paulus servus Dei fidelissimus similiter aliquid petiit & repulsam passus est. Mosi dicitur: Non poteris videre faciem meam. *a* Paulo respondetur: Sufficit tibi gratia mea. *b* Quis quæso, mi Deus, tuam ambiat amicitiam, si tuos etiam amicos non suaviùs tractes? Sed Dei vicem respondens Augustinus: Apostolus, inquit, exauditus est ad salutem, etsi non ad voluntatem: Diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus. *c* Nam istud Diabolum, genium superbissimum magis ussit, quam ullus Avernalis ignis, quòd Iobus illum mendacii apertissimi convicerit patientiâ. Atque hoc Deus ab omni æternitate prævidit, Diabolus autem id nesciit. Idcirco hic ante nos theatrum divinæ provi-

a *Exodi c. 33. v. 20.*

b *2 Cor. c. 12. v. 9.*

c *August. tom. 9. tr. 6. in cap. 3. ep. Ioan.*

providentiæ, quæ Diabolo liberrimam fecit potestatem omnes Iobi facultates dissipandi, prout vellet: Ecce enim in manu tua sunt universa quæ habet: tracta ea ut vis, ne postmodum dixeris, Iobum nimis molliter à me castigatum. Tu igitur ipse fortunas ejus omnes diripe; veruntamen animam illius serva. Mirabilissima est divina providentia, quæ Diabolo, & omnibus ejus famulis, hominibus malis potestatem alios vexandi permittit, sed potestatem ad guttulam ad unguiculum dimensam. Nam uti mari metas posuit: Huc usque pervenies, & non ulterius: Ita Diabolo & ejus asseclis terminos ponit Deus, ultra quos vexando & torquendo progredi nec hilum possunt. Et nos fatuæ simplicitatis homines modò hunc modò illum accusamus, adversus multos varie queruli. Respiciamus divinam providentiam, quæ sua cuilibet admetitur exactissimè.

Quam primum igitur Diabolus Decretum audiit, & potestatem vexandi Iobi accepit; mox: Dictum, factum. Nam continuò Sa-

bæos, qui ad fines Husseæ regionis habitabant, excitavit & armavit, ut in Iobi territorium irruptione factâ pecus abigerent: quos paratissimos ad hoc injuriæ invenit; nam illi facinus statim aggressi; mille quingenta capita majoris pecoris abegerunt, custodes, bubulcos, agasones, interfecerunt. Periculum cædis effugiens cursor: Boves arabant, inquit, & asinæ pascebantur juxta eos, irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio: & evasi ego solus, ut nuntiarem tibi. Hic primus fuit è quatuor mæstissimis nuntiis:

Videte cacodæmonis celeritatem! quàm veloces illi manus & pedes? quam præpetes alæ; Volat, agilior ventis. Quam enim citò ad deprædationes & cædes hostem inflammavit? Spiritus est. Celeritate summâ, momento plurima, maxima, conficit. En etiam quàm ingenio promptus, quàm sagax & versutus! Custodes pecoris ita cædibus sterni curavit, ut tamen nuntius cladis evaderet. Quamvis Chrysostomus,

alii-

[redacted]

aliique censeant, hos nuncios fuisse Diabolos; Nam aliter, ajunt, vix fieri potuisset, vt vnus alteri tam certis ac dimensis spatiis succederet; alter alterius vestigiis hæreret, ne Jobo ullum rèspirandi, aut sui colligendi spatium daretur. Deinde verosimillimum est, hos ex Orco tabellarios acceptæ cladi maximam verbis auxesin addidisse, Iobi animo gravissimè concutiendo, quod certè homines rusticani non potuissent: Sicut enim lætus nuntius plerunque affingit aliquid, ut plus exhilaret; ita indubiè hi nuntii rem, ex se lamentabilem, incredibiliter exasperarunt vultu, voce, lacrimis, gestu, totius corporis efformatione. Prætereà quomodo quartus ille nuntius è collabente domo, quâ omnes, qui in eâ erant, attriti sunt, solus evadere potuisset? aut scire, si periculi expers ipse fuerat, omnes obtritos esse, nisi Diabolus fuisset?

Vera sit hæc sententia; nec enim anxiè hîc tricandum. Venit ergo Diabolorum aliquis famuli pagani habitu, scissis vestibus, vultu & ma-

nibus forſan cruentis, flens, ægro anhelitu, ſingultiens, omnibus ad lamenta compoſitis, & eò ſpectantibus, vt animum Jobi turbaret ac emolliret ad puſillanimitatem.

Reverà hæc tanta clades hominem vel ferreum fregerit. Jactura certè non levis unico raptu mille Boves, Aſinas quingentas, oneribus vehendis deſtinatas perdere. Sed iſtud etiamnum leve poteſt videri ad ſecutura comparatum. Damnum hoc tam copioſi pecoris, tam repentinum ac grave, Iobum abſque dubio accerrimè punxit, nam agri eo anno manſerunt neceſſariò inculti, bobus arantibus jam ſublatis; ſervis etiam jugulatis, metus imminebat hoſtes redituros. Sentit hæc ſapiens, ſed non conſentit. Senſit iſta Jobus, ſed puſillanimitati aut impatientiæ non conſenſit. Hic Arabs ſapiens dominatus eſt aſtris, & quidem malignis admodum & fatalibus.

Diſcamus hîc vitam noſtram omnem aceto & felle, abſynthio & amaritudine plurimâ mixtam: quod Diabolo negatum, ejus ſæpe miniſtris

ſtris conceſſum. Et nos miremur aut indignemur cum felleum hoc acetum linguam commordet? Obſecro, non exſpectemus meliora. Hæc vitæ hujus ratio eſt; Deus amaris dulcia, triſtibus læta, adverſis, proſpera perpetuo miſcet, & in hoc ſumma Dei providentia, curàque prorſus erga nos paterna elucet. Cujus cauſſam aſſignans Auguſtinus: Ideò, inquit, Deus felicitatibus terrenis amaritudines miſcet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non eſt fallax. *a* Idem hoc confirmans Chryſoſtomus: Ideò, inquit, nec homines ſemper Deus in calamitatibus dimittit, ne deficiant; nec in quiete & rerum proſperitate, ne ſocordiores fiant: Sed mutationibus ac viciſſitudinibus eorum ſalutem variat. *b* Nimirum in bonâ chely non ſolùm fidiculæ ſunt graciles, tenerioris ſoni, ſuavè canentès, ſed ſunt hypate & parhypate graviorem reddentes ſonum. *c* Ita etiam in vitâ noſtrâ proſperitas calami-

a *Aug. ſerm. 29. in Matth.*
b *Chryſ. in Pſal. 123.*
c Der groſſe vnd kleine Brummer.

calamitas velut diversæ fides miscentur. Venustè ac verè dixit Philosophus à Madaurâ : Verum verbum est profectò ; Non est homini quidquam tam lætum divinitus datum , quin difficultatis aliquid sit admixtum , conjugatione quadam mellis & fellis , ut si quid illud solvit, hoc adstringat. Norunt Medici dulcia stomacho inimica, felli faventia : nam stomachum laxant , diffuunt, nauseam creant ; fel autem augent : idcirco dulcibus austeri aliquid & amari, quod stringat, attemperandum. Ambrosius flumen rapacius alveo & marginibus clausum ostendens : Deus, inquit , delitiis & gaudiis nostris ponit modum , ne supra alveum effusa rationem obruant. *a*

Ante hac Iobus , ut piscosus & abundans Danubius , aut ut latus Rhenus fluxit , & pecoris & auri dives. Iam paullatim arcto alveo & angustis stringitur marginibus , vel puellis vadandus; imò tandem penitus siccabitur & exarescet tam amplus fluvius.

a. *Ambros. l.* I. *de Abel & Cain c.* I.

Hîc iterum fidelitatem Iobi maximam consideremus. Calumniabatur illius innocentiam Diabolus, quod, quæ hactenus fecisset, non sincero fecisset animo. Omnia ei obsequia abundantissimè compensata. Mox in mores delapsurum pravos, ubi contundi aliquantulum cœpisset. Contusus est insigniter immitissimâ cacodæmonis manu, & primo quidem ictu mille ac quingenta pecoris sui capita amisit. Nondum tamen ullum impatientiæ signum edidit, non Deum linguâ violavit, neminem execrandis deprecationibus confixit, nihil adversus divinam providentiam ogganniit, sua Deo servitia non renuntiavit, non iram Dei in Sabæorum caput evocavit, non illis diras non crucem, non rotas, imprecatus est; imò cortice jam suo cœpit natare, & suo sumptu vivens, sine stipendiis Deo militare.

His ipsis annis quibus Europa tot arsit bellis simile quid contigit. Vir strenuus generosæ stirpis ac mentis, suo principi bellum moventi cum quingentis militibus suppetias venit; idque suis impendiis, sumptu suo

ſuo Nec enim aliud ambiit ſtipendium quam eâ re domino ſuo gratificari. Hoc ſanè tantis favoribus exceptum eſt, ita dominum devinxit famulo, ita placuit gratuitum hoc obſequium, ut vir ille ſtrenuus ad honores ampliſſimos evectus, in eam receptus ſit gratiam, quam vix amplius poſſe amittere, ſit creditum.

Hoc homini præſtat homo, ut adeò placeat? Certè fideliſſimus ac liberaliſſimus Deus obligatiorem ſe agnoſcit tam fideli homini, de quo affirmari poſſit; En illi Deus res terræ & temporis ſubducit, ſpiritalem dulcedinem negat, ſolatia ſubtrahit: ita bonus homo ſine ſtipendiis, ſine præmiis vivit, & tamen à Deo non recedit, divinis obſequiis non valedicit, quantis poteſt viribus Deo etiamnum ſervit, & ſuis velut impendiis ſe alit! O Servum bonum & fidelem! Generoſa hæc eſt fidelitas, quæ Deum homini mirificè conciliat. Ita quiſque Deo ſerviat, & ſibi dictum putet: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi

a *Matth.* c. 25.

coronam vitæ. *a* Et licet ſolatium omne ſubducatur, nullum in oculis ſit præmium, nihilominus fidelis Servus dicet: En adſum, Domine, Servus tuus, ad omnem nutum paratiſſimus: jube, impera; quod juſſeris, quod imperaris exequar promptiſſimè. Nec verò aliud à te ſtipendium peto, quam te ipſum & tuam gratiam. Hoc omnino eſt ſuis victitare impendiis & aliquanto tempore ſervitia præſtare gratuita. Hoc homini Deum obligat, hoc divinos auget & ſtabilit favores. Promiſſum eſt divinum: Oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum. *b*

Diſcat hîc etiam qui aut nullas, aut admodum paucas & valde placidas habet afflictiones, aut potiùs morſiunculas, ſe non inter robuſtiſſimos à Deo cenſeri. Probatæ miles virtutis ad expeditiones arduas, ad oppugnationes periculoſas, ad difficillima quæque mittitur: imbellis & inexercitatus tiro ad tam ſtrenua non evocatur. Ita qui minus habet præliorum, minus etiam ſperet præmiorum.

a *Apoc. c.* 2. *v.* 10.
b *Pſal.* 100. *v* 6.

miorum. Ita omnino de se cogitet, qui aut pauca patitur, aut multa, sed impatienter; ohe, miles è butyro & saccharo compactus, quam non natus es ad fortia! Parcit tibi Deus, & inter ignavam turbam alit te, ne penitus perdat. Fortes exercentur ad fortia. Jobum Deus orbe universo inspectante tam ad certamina & pugnas, quam ad triumphos & coronas evocavit. Felix quem durant adversa & difficilia.

CAPUT IX.

Quo animo secundum Nuntium acceperit, nobisq; perferendæ rerum humanarum jacturæ.

AUgustus Imperator quod Plinius narrat, in cohorte prætoriâ centurionem habuit Aulum Junium, qui currum & equos plenissimo cursu ruentes, corporis sui mole repentè potuit sistere. *a* Diabolus Dei permissu contra Jobum rapido ferebatur cursu & quadrigas concitatissimas immisit. Quatuor nimirum nuntios mæstissimos subornavit, quorum singuli tam tristia narrarunt, ut Jobum hoc primo

 incursu

a *Plin. lib. 7. Nat. hist. c.* 20.

incursu mentis statu dejiciendum nemo non credidisset.

At Iobus adeò nervosus, patiens, magnanimus, erga divinam providentiam tam reverens, voluntati divinæ tam conformis fuit, ut falcatum istum & in se ruentem currum Satanæ objecto corpore sustinuerit fortissimè. Iobus etiamnum stat erectissimus, primo congressu neutiquam dejectus Nuntius primus, quingentas asinas & boves mille abactos lamentabatur. Secundus nuntius septem ovium millia unà cum opilionibus igne cælesti deflagrasse referebat. In hac altera clade percensendâ, nos primo loco exponemus, quo animo Iobus hunc nuntium acceperit: Deinde quomodo nos Jobi spectatores in omni rerum humanarum jacturâ divinam providentiam suspicere debeamus.

Secundus ergo Nuntius, sive fuerit cacodæmonum aliquis, sive homo, ut alii censent, à cacodæmone agitatus, parturiente lingua currebat, incendium cælo lapsum in oves nuntiaturus. Historici sacri verba sunt. Cumque adhuc ille loquere-

tur

tur (primus nuntius) venit alter & dixit: Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oves pueroſque conſumpſit: & effugi ego ſolus ut nuntiarem tibi. *a* Gravis ſanè ictus fuerat primus, ſed illo nihil mitior ſecundus. Prior mille armenti & quingenta capita ademit: iſte alter ovium ſimul ſeptem millia conſumpſit. O cladem nimis repentinam & informem! ô caſum acerbiſſimum! ſi lupus aut fur ſeptem oves rapiat, ſentitur damnum; ſi ſeptuaginta, graviùs ſentitur, ſeptingentas uno abigeatu *b* perdere, damnum eſt multò graviſſimum; jam verò ſeptem millia ſimul amittere, jactura horribilis & damnum pæne intolerabile: qui fieri poſſit, ut bonus Paterfamilias diſpendium tantum non graviſſimè ſentiat? Clades reverâ fuit pluribus annis non ſarcienda.

Et videte, quæſo, pulchram Diaboli methodum. Primus in Iobum intentatus ictus ab hominibus fuit, alter à cælo: tertius iterum ab hominibus, quartus iterum à cælo.

a *Iob. c. 1. v. 16.*
b Vieh Diebſtal.

Nos quando lædimur ab hominum aliquo, confugimus ad Deum; cùm à Deo percutimur, ad homines convolamus auxilium aut solatium petituri. Hoc igitur hic egit Diabolus, ut omnem Jobo solatioli vel minimi accessum intercluderet, ut nec sanctiore ullâ cogitatione sese armare posset. Plaga plagam excipiebat, vulnus addebatur vulneri. Ut Jobus denique cogitaverit; ipsum etiam cælum adversus me pugnat, ipse etiam Deus me destituit. Sed neque, ut Paulus loquitur, Diaboli cogitationes ignoramus.a In maximam spem venerat veterator, hac ratione Jobum ad desperationem facilè pertrahendum, cum enim ante hac innumeras pecudes Deo sacrificarît, jam autem nec ungulam nec floccum oviculæ retinuerit, desperabit Deum sibi offensum & iratum sine sacrificiis placari posse.

Nequissime Alastor, b non solis ovibus aut hircis, non vitulis solis aut tauris placatur Numen. Nunquid enim manducabit carnes taurorum?

a 2 *Cor.* c. 2. v. 11.
b Plagteuffel.

rorum? aut sanguinem hircorum potabit? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. *a* Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Hoc Jobus non ignoravit, ideò amissis ovibus & bobus omnibus sacrificavit Deo seipsum, sacrificium utique gratissimum. Ita Job videri potuit amisisse omnia, & nihil amisit, quia faventem sibi Deum retinuit, in quo habuit omnia.

Hîc ergo ad theatrum divinæ providentiæ collocati discamus omnes humanarum rerum jacturas æquo animo perferre. Hîc multiplices damnorum formæ sunt. Est, qui pecuniariis technis & insidiis circumvenitur & Philippeos non paucos perdit. Alteri pecunia eripitur vi aut vanis promissionibus, aut fallacibus artificiis. Est, qui fortunis suis evertitur per mercaturam, & unà secum plurimos in damni societatem trahit. Aliorum facultates aliorum injuriis & injusti-

a *Psal.* 49. *v.* 13. *&.* 14.

[redacted]

tiis atteruntur. Sunt, qui salino tenui vix famem solari possint. Alios perpetuæ graveſque dominorum exactiones ad rei familiaris anguſtias compellunt; nonnulli ad mendicitatem detruduntur morbis, tempeſtatibus, incendiis, naufragiis. Ampliſſimum eſt egeſtatis regnum & diverſiſſimæ ad illud viæ. In iſto autem divinæ providentiæ theatro diſcimus quâ ratione omne genus penuriæ patienter & æquo animo perferamus. Quod certè non erit difficile ſubjungenda monita conſideranti.

Primum: Quicquid Deus facultatum nobis conceſſit, quicquid conceſſurus eſt depoſitum Dei & mutuum eſt, non debitum; fruendum accepimus ut alienum, non poſſidendum ut proprium; nos adminiſtri tantùm ſumus & procuratores, non Domini. Si Dominus, quod ſuum eſt, repetat, quid oſtendemus? Domini vox eſt per Aggæum vatem: Meum eſt argentum, meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum [a] Baſilius illa Lucæ verba eluci-

[a] *Agg.* c. 2. v. 9.

elucidans: Tu, inquit, nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in conclavi conservas. Quod Leo Romanus præsul confirmans: Hæc, ait, non magis possidenda quàm dispensanda commisit Deus. Et quemadmodum ad exhibendas comœdias vestes conceduntur mutuæ, quarum usus cessat ad spectaculi finem, tunc enim cuilibet actorum dicitur. Redde quod mutuum accepisti, tuum non est quod usui tuo concessum est; redde aliena, redde; finis est comœdiæ, redde. Ita profectò & *a* Seneca philosophatus: Non est, inquit, quod nos suspiciamus, tanquam inter nostra positi; mutuò accepimus: ususfructus noster est. *b* clariùs Annæo Paulus; Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Cum Paulo clarissime Iobus: Nudus, ait, egressus sum de utero matris meæ, & nu-

a *Sen: Consol: ad Marc am. c.* 10.

b 1 *Tim. c.* 6. *v.* 7.

& nudus revertar illuc. *a* Pro veste mihi fuit nuditas cùm ordirer vitam, eadem mihi in operimentum erit, cum vitam finiero, ut suus exordio respondeat epilogus.

Secundum: Omnem jacturam tolerare nos doceat magnanimitas eorum, qui plurima habuerunt, & omnia perdiderunt. Expendite, oro, Ezechiæ regis optimi tolerantiam admirandam. Rex sese humanissimum exhibuerat in Babylonicos oratores, quibus omnem opulentiam regiæ domus ostendit: Displicuit Deo hæc etiam levis ostentatio, Missus igitur Isaias, qui rigidum Dei decretum afferens. Ecce Dies venient, inquit, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hunc, in Babylonem: non remanibet quidquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. *b*

Quan-

a *Iob. c.* 1. *v.* 21.
b 4 *Reg. c.* 20. *v.* 17. *& seqq.*

Quanti reges alii adducto ſuper-cilio reſpondiſſent. Quæ iſta eſt curiæ cæleſtis æquites? Siccine Deus humanitatem ſolet plectere; legatis Babyloniis theſauros meos oſtendiſſe tantum ſit criminis ac piaculi, ut theſauros ideò univerſos perdam? quis unquam audivit talia? quid quæſo vitii eſt benevolum ac humanum in exteros eſſe? Deinde mihi meòque regno expedire judicabam, ſciri à Babyloniis, me à pecuniâ & ærarii theſauris inſigniter inſtructum, habere quod in arma & bellicas vires conferam: Rex Regem facilè oppugnat, quem ærario exhauſto, pecuniis ſcit egere.

Hæc & plura talia in ſuæ cauſſæ patrocinium Rex Ezechias adducere potuiſſet. At ille nihil horum: reprehenſionem modeſtiſſimè ferens, ſententiam ſeveram patientiſſime accipiens divinæ providentiæ committit omnia, hoc unum animo volutans. Deus utique, quid mihi expedit, melius novit, quam ego. Hinc illæ regis optimi voces: Bonus ſermo Domini, quem locutus es.

Hoc

Hoc responsum, tam submissum, ita Deo placuit, ut Ezechiæ vivo nil penitus sit ereptum.

Ita, O mei Christiani, ita in pecuniariis jacturis omnibus loquamur: Bonus sermo Domini, bonus & gratus, etsi minus dulcis & jucundus.

Regina Pannoniæ Elisabeta, principis Ludovici vidua, post coniugis funus bonis omnibus evoluta, è castro cum liberis ejecta, consiliis & auxiliis destituta, á cognatis & omnibus hominibus deserta, nec hospitiolum quidem, quo reciperetur, invenire potuit. Ergo ad Cœnobium divi Francisci abiit, & hoc unum rogavit, ut hymnum Ambrosianum, Te Deum Laudamus, canerent & gratias agerent Deo, qui famulam suam dignatus esset calice Dominico tam liberaliter perfundere; id enim se gratiam maximam interpretari.

Hi sunt, qui Jobi doctrinam assecuti, pecuniam ausi sunt contemnere, & hilariter cum Jobo canere: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum: Bonus

nus sermo Domini, bonus in omnibus.

Tertium, quotiescunque damno afficimur, penuriâ vel inopiâ premimur, mox ad theatrum providentiæ divinæ recurramus, ubi audiemus solere Deum hæc adimere vilia, ut eorum vice substituat meliora. Nimirum abstrahit à noxiis, ut ad sese nos pertrahat. Quis nescit? Insuave pharmacum, sed salubre. Ideò Tobias ad filium. Noli timere, inquit, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum. Fili, ait, non horreamus paupertatem, ut grande malum, sed potius nos illi attemperemus; illa nemini mala est, nisi malè ferentibus: tenuis est victus noster, sed sufficiens est, non cupientibus plura, multa habebimus bona, si mala hæc vitæ non iniquâ mente perferamus. Repositæ sunt nobis opes in meliore vitâ.

En Tobias ad theatrum providentiæ divinæ confidens, Dominum dantem, Dominum auferentem assiduè aspexit: Ita Deo visum, ita melius est. Quid nos homunculi di-

vinæ

[redacted]

vinæ huic legi obluctemur? Actum agimus. Quisque suis sese necessitatibus accommodet. Ita rectiùs vita ducitur.

Miles, ut fertur, soleam ferream invenit, & cingulo eam affixit. Cum autem sclopo peteretur trajiciendus, glans ferrea in hanc ipsam soleam incurrit, & ita militem præstitit illæsum. Tum miles jocosè: Juvat etiam profectò, inquit, lorica non magna, modò eam noris aptare tibi. *a* Ita paupertatis incommoda & numariæ jacturæ juvant, modò illis nos accommodemus tolerantiâ quam nobis suggerit divina providentia.

Quartum: Conducit plurimum, in similes eventus animum maturè obarmare prævidendo. Dic, agedum, si tibi hoc illud auferretur fraude, vi, malis artibus, quid faceres? Non sanè aliud bonæ mentis homo, quam hoc ipsum respondebit: Quid faciam! quam ut meipsum in divinæ providentiæ manus injiciam, & dicam? Domine, quod accepisti,

a Es hilfft auch ein schlechter Harnisch/ wan man jhn nur recht anlegt.

ſti, tuum eſt; gratias ago, quod hactenus hoc mihi commodaveris. Etiam mea omnia perdam, res mobiles & immobiles, tam prædia quàm ruta cæſa: *a* tam multa tamen nunquam perdidero quanta Jobus perdidit, qui ſeſe in hos eventus præparans: Quia timor, inquit, quem timebam, evenit mihi, & quod verebar, accidit. *b* Sat diu cælum favit, ſol amænus fulſit; nunc tempeſtates & turbines; præ vidi.

Chryſoſtomus ut in has curas nos intentos redderet, rectiſſimè monet: In tranquillitate tempeſtatem, in ſanitate morbum, in divitiis paupertatem expecta, prout monet Eccleſiaſticus. In die bonorum ne immemor ſis malorum. *c* Stephano Abbati viro ſanctiſſimo, quem Gregorius magnus *d* laudat, frumenti aliquid collectum fuit, quod in alimoniam totius anni parca frugalitas recondidit pro pluribus. Hoc omne,

a Ligende vnd fahrende Gütter.
b *Iob. c. 3. v. 25.*
c *Chryſ. hom. de Avarit. Eccli, c. 11. v. 27.*
d *Greg. l. 5. dial. c. 19.*

triturâ nec dum excussum, homo insigniter nequam crudeli manu incendit. Nunciatum hoc est quàm primum Stephano, qui ore renidenti, & pacatâ mente. Non est, inquit, de quo angamur nos & cruciemur; ille viderit, qui hoc fecit. a

Hanc animi tranquillitatem, mi homo, considera, & ad illam teipsum interroga: Si tibi tale quid accidat, quis sensus? quæ verba tua forent? Atqui profectò quod huic & illi contigit, etiam nobis potest contingere. Obarmemus igitur animum & adversus incursiones futuras præmuniamus. Sapienter dixit Publius: Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit.

Quintum: si res familiaris deficiat, si eripiantur facultates, videte Iobum, qui alium ante se Iobum non vidit. Ingens viro solatium attulisset, vel pictum cernere virum alium eximiè patientem. Sed Iobus ante se Iobum alium non habuit; ipse velut auctor & magister patientiæ, omnes illius numeros explevit. Cum enim jam alterum tristem nuntium audis-

a *Vide meum Heliotropium.*

audîsset, necdum tamen recessit à Deo, sed nec verbulum adversus Deum edidit, quòd ignem cælô in oves dejecisset. Etiamnum sibi constabat patientia; nihil indignationis, nihil excandescentiæ, nihil imprecationis malæ auditum. Origenes Iobi personam agens, scitè prorsus & piè. Ego, inquit, paulatim oves sacrificaturus eram; sed illi gratias ago, qui omnium unicum holocaustum suo ipse igne effecit & suscepit. Ita pro se quisque loquatur de se. Egò particulatim his & illis & aliis dedissem eleemosynas, hanc ita divisam stipem, hos sacrificales nummos, Deus simul omnes accepit. Factum bonum, Deo gratias.

Hoc profectò Jobi prosapiam & generositatem sapit, hoc verè Christianum: Quod Paulus asseverans: Rememoramini, ait, pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum

cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. a Cogitemus quantum à nato Christo ad Constantinum Imperatorem, per annos trecentos, innumeri Christiani sint passi ab idololatris orbe toto dominantibus. Quamprimum delatus ad judices Christianus, proximum orat, bonis illum omnibus exuere: & ea ærario publico addicere. At illi rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt. Et licet bonis jam spoliati plurimis insuper contumeliis sint affecti, hanc tamen pugnam subierunt alacerrimè modò gratum possent exhibere superius spectaculum.

Plutarchus narrat Julium Cæsarem Pompejo jam victo in Alexandrinos movisse arma. Hic Cæsaris copiæ duos pontes occupare nitebantur. Successit ad primum bellicus conatus; pontem occuparunt: ab altero miles Cæsarianus vi repulsus est. Hîc omnes fugere certatim, & ad naves properare. Hæ nimii ponderis impatientes, deinde fugientium

a *Hebr. c.* 10. *v.* 21. *& seqq.*

gientium insultibus variè quassatæ mergebantur. Octingenti milites unà cum nautis perierunt in aquis. Natando tamen evaserunt non pauci. Inter hos ipse Cæsar è purpurâ notus, hostium telis acerrime petebatur. At ille rejectâ veste aquis se credidit & dextrâ quidem natationem promovit, lævâ libellos tenuit sublimes, ne madefaceret; ita ducentos passus unicâ manu enatavit ad littus. *a* Factum audax, sed & generosum ac forte. Nos quidem, dum hic vivimus, in oculis habemus cælum, sed interim mari jactamur, & fluctibus insuper & telis calamitatum petimur variarum. Abjiciamus igitur quicquid natantes impedit. Divitiæ sunt malæ sarcinæ, quæ prægravant & mergunt. Si veritati fides est, quis divitum emergit? Facilius visum est Christo, ut camelus acum transiret, quam dives cælum penetraret. *b* Excutiamus ergo sarcinas, modò librum nostrum non madefaciamus, modò enatemus salvâ conscientiâ, quicquid demũ remaneat impedimento-

 rum.

a *Plutarchus & Dio Cassius.*
b *Matth.* 19. v. 24.

rum. Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles. a Modò conscientiæ liber non corrumpatur, cœterarum rerum omnium jacturam facere, lucro erit. Laboremus & luctemur, ut enatemus. Rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscipiamus. Peribimus, nisi sic pereamus.

CAPUT X.

Tertius Iobi nuntius inducitur; & impatientiâ mortalium sugillatâ, Numinis providentia commendatur.

Athenienses adversus Medos & Persas in campis Marathoniis acerrimo prælio decertarunt, ut Suidas memorat, & victoriam reportarunt illustrissimam. Ex Atheniensi milite unus aliquis, cui Hæmonius nomen, licet vulnere lethali saucius seipsum tamen in pedes erexit, & cucurrit Athenas, reperitque considentes etiamnum in curiâ senatores: eò irrumpens, quantâ potuit voce proclamavit: μέγα χαίρετε, νικῶμεν b His dictîs corruit exanimis, legatione

a *Prov. c. 15. v. 16.*
b *Gaudete multum, vicimus. Suidas interpres: salvi estote, salvi sumus.*

tione voluntaria eximiè perfunctus.

Tertius ad Iobum pervenit nuntius, fidelis quidem, ſed acerbus: ſiquidem non minorem prioribus cladem annuntians. Chaldæi, ait, in tres cuneos diviſi irruerunt, & aggreſſione camelos abegerunt omnes, inſuper & cuſtodes occiderunt, vix ego unus evaſi, qui hæc hero meo indicarem. En primus ictus ab hominibus Iobo intentatus eſt, prædonibus Sabæis: alter à Deo è cælo venit: tertius iterum ab hominibus, Chaldæis prædonibus: quartus itidem è cælo à Deo fuit. Ab hoc ſupremo ictu ſperavit dæmon victoriam: verum ſpes in irritum cecidit: Hos enim omnes ictus excepit Iobus, & infractus ſtetit illæsâ patientiâ. Nobis nunc de tertio triſti nuntio agendum, & unà explicandum, quàm varia ſit impatientia, & quàm paterna Dei providentia. a

Curſor tertius illatam cladem his omnino verbis ſignificavit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos, & tulerunt eos; necnon etiam pueros percuſſerunt gladio:

a *Iob. c.* 1. *v.* 17.

dio : & ego fugi ſolus, ut nuntiarem tibi: Ah, ubi nunc ſpecioſa illa Jobi nomina, opulentus & Felix ! Nunc majoris pecoris duodecim millia capita minus quingentis, ſunt ablata. Nulla hîc amplius opulentia, felicitas interiit. Ad ſaccum, & ad incitas redactus eſt Job, deinceps mendicandum erit ; nec facilè unquam præciſas alas reparabit ; imò brevî tam miſer, ut eum tam pauperes quàm divites velut extremi buſti cadaver ſint fugituri. Mi Deus, quàm graves & acerbi à tuis flagellis veniunt ictus, quorum ſinguli Jobum necaverint. Si cui ovicula ſubtrahatur unica, equus aut bos unicus auferatur, queſtus & lamenta ſequuntur ; ſi viginti aut triginta oves, vel equi, vel boves, ſi ovile aut equile totum pereat, quam intolerabilis creditur eſſe jactura, irrecuperabile damnum ! Si duodecim millia gallinarum abripiant urin prædam, aut etiam ſi ſolùm duodecim millia panum, vel ſupellectilia, quantumvis vilia, ſi parvulo ſublegantur numero, protinus excandeſcentia, furor, inſania ſe produnt.

Job

Job perdit ſui pecoris millia duodecim, imo armentum totum, nec tamen excandeſcit, nec furit, nec inſanit, nil mali cuiquam imprecatur, Deum non deſerit, patientiæ leges non infringit, ſanctimoniæ non valedicit; quis enim audiit dicentem? Perii, óccidi; actum eſt de meâ omni familiâ; receſſit á me Deus, quid ei ſerviam ampliùs? Nil ſimile auditus Job dicere. Ex quo ſanè omnibus conſtare potuit, virum fuiſſe maximæ ſapientiæ. Salomone teſte: qui patiens eſt, multâ gubernatur prudentiâ. *a* Job vel ideò etiam ſapientiſſimus, quia patientiſſimus.

Mi Deus, quam multiplex & varia eſt noſtra impatientia; in omnes ſeſe formas diffundit: Præceps, Moroſa, Melancholica, Sorbens, Fulminatrix & Furioſa. Singula paucis explico. *Præceps* eſt impatientia, quæ vix tacta, ſtatim proſilit ad arma. Quemadmodum in inſtrumentis fidium æ̈rearum, quamprimum manubria *b* tanguntur, mox ſubſi-

a *Prov. c. 14. v. 29.*
b Clauier.

lit tigillum *a* musicum: ita nos quàmprimum oculo stringimur obliquo, aut digitulo leviter impellimur, mox vociferamur, & complicamus pugnos ad vindicandam injuriam, Sicuti cùm fomes igniarius, & cucullus pulverarius *b* conveniunt, mox flamma emicat, ita cùm levis injuriola in animum incidit impatientem, continuò præceps provolat furor.

Morosa est impatientia, quæ acerba, tetrica, indignabunda, stomachans, fremebunda, ea quæ manu tenet aut in angulum conijcit, aut parieti vel humo illidit, subinde pedibus calcat projecta. Hæc querelarum semper plena est *Melancholiæ* morosæ valde similis, sed eâ prolixior, & ex alijs caussis. Hæc omnium pæne rerum capit tœdium, vix quisquam est, qui huic satisfaciat; similis anui rugosæ, quæ linum nodosum girgillo devolvit, & modò linum & inexplicabiles nodos, modò tractorium instrumentum & rhom-

a Docken *vocantur.*
b Zindstrick und Pulfferpfan.

rhombum accuſat. a Ita impatientientia melancholica in rebus pænè omnibus tricatur, proprio nomine vocanda, Balneum diaboli. *Sorbens* impatientia dicitur, quæ ſuum ipſa vomitum glutit & devorat, ſupprimit & ſorbet ſuas ipſa lacrimas; & ſicut morbi contagia in animam nonnunquam penetrant, & interdum ulcus ad nervos ſolet deſcendere, ita hæc impatientiæ tabes interiora depaſcitur, ſepultus altâ mente premitur dolor. Hæc impatientia verſat animum per omnia: cogitat & coquit, ſed plerumque tantùm tonitrua; cum finita eſt hæc coctio, turbines, tempeſtates, grandines emittuntur. *Fulminatrix* autem impatientia eſt, quæ ignes jaculatur & fulmina, quæ verba vomit deterrima, calumnias ſpargit, contumelias jacit, deteſtatur, maledicit, execratur, & imprecatur; omnibus, præterquam ſibi, culpam impingit. Ætnam dixeris, flammarum globos & ſaxa jaculantem, & ipſi mini-

a Ein alts Weib ſo ein knopfet garn abwint / gibt ein weil dem Haſpel / ein weil dem Garn die ſchuld.

minitantem cælo incendium. *Furiosa* denique & armata impatientia est, quæ ferrum rapit, pugiones & tela prehendit, gladios stringit, vulnera minatur & cædes. Parum illi est verbis rem agere, nisi & verberibus ac plagis sæviat; nec ei satis, manibus ac pedibus se defendere, nisi aliis violentas manus injiciat, & humi dejectos pedibus conculcet.

Visne, mi Lector, nobile illius paradigma cernere, quod meis oculis spectavi, auribus excepi. Anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, quo serenissimus Elector, Bavariæ Dux Maximilianus in Bohemia rebellem arma movit, die Augusti vicesimo nono in oppidum Boëmicum Strowiz Prætorianus miles ingressus est. Ego cum sociis ad tuguriolum sutoris deductus sum. Hîc jucundum fuit spectare patientiam, subitò ab impatientiâ expugnatam. Sutor paterfamilias, religione Anabaptista, vir usquequaque humanissimus, verba melle ac sesamo sparsa jaciebat. Si quis militum ingressus salutasset hunc opificem, adven-

adventorem illi reſalutabat amiciſſimè: ſi quis calceos petiiſſet, promptiſſimè ac miti pretio dabat; ſiquis novas ſoleas vetuſtis calceis induci cupiiſſet, paratiſſimus gratificari ſatagebat; ſi quis è tugurio diſcedens valedixiſſet, ille hominem ſuaviſſimè compellans, mi Frater, ajebat, dominus JESUS te cuſtodiat. Omnia hactenus præclarè, & ad normam patientiæ. Subitò mutata omnia. Siquidem repentè vir iſte bonus par ſolearum cœpit quærere, nec tamen eas uſpiam reperire. Hîc datum ſpectaculo initium. Ego è regione me collocavi, ut probè in oculis eſſet comœdia. Et vidi ſanè quid præceps, quid moroſa & fulminatrix facere ſoleret impatientia. Sutor ob ſoleas, quas putabat furto ſubtractas, jam pænè in rabiem efferatus, neminem ingredientium non allatrare, omnes tam inquilinos quam exteros invadere; uxorem, liberos acerrimis verbis perſtringere, ſutoriam ſuppellectilem huc illuc diſjicere *a* ligulas chalybeas, ferreas,

tudes

a Reibhöltzer / Klopffhöltzer / ſtahl/ lederriſen leyſt.

tudes, mateolas, modulos & formas omnia permiſcere; modò radulam, *a* modò ſpongiam, modò forficem aut forcipem, modò falculam, modò aſſulam ſutoriam prehendere, & mox iterum rejicere; jam caput fricare, jam impatienter exſpuere, jam calcitrare, *b* ita varias impatientiæ ſpecies eleganter exprimere: ita præceps, moroſa fulminatrix impatientia inſigniter ſeſe ſpectandam dare. Sed nunquid de Græciæ fortunis agebatur? Par unicum ſolearum credebatur furto ſublatum, quod denique repertum eſt, ubi diu ſatis duravit comœdia.

Hæc nobis, mi Lector, applicemus tunc maximè, cùm impatientia ſive moroſa, ſive fulminatrix, ſive furioſa in foribus èſt; ipſi ſibi quiſque dicat: Eho! humaniſſime ſutor, num bellus ille luſus incipit, numquid initium das comœdiæ, in quà præcipitem, moroſam, melancholicam, furioſam, fulminatricem imi-

a Raſpel oder reiſſer / ſchwam / ſchår / zang / Kneib / Schneidbret.

b Stampffen.

impatientiam oculis ſubjicias? Vide, mi patientiſſime Iob, quàm non profundè tibi hæreat patientia: quamdiu nemo te lædit, dum omnes tibi aſſentiuntur, quamdiu adverſi nihil occurrit, bonus es & patiens, ſed tuo ſenſu. Tange montem, tange, tange, mox fumigabit horrendum, mox præceps, moroſa, fulminatrix, furioſa impatientia omnibus viis provolabit. O bone Iob, ô placidiſſima ſimul! Hæccine tuæ patientiæ ſunt ſpecimina?

Veriſſimé dixit Salomon: Qui impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam. *a* jam igitur liquet, quantum ſapias, quam prudens ſis & ſolers, qui impatientiâ tuâ, ſtultitiam tuam adeò prodis & exaltas. Job ſimul perdit mille boves, aſinas quingentas, & tacet. Perdit ovium ſeptem millia, & tacet. Perdit tria millia camelorum, & tacet. Id ſolum proloquitur, quod in conditoris laudem eſt, & de acceptis plagis gratias agit, omnia divinæ providentiæ committit. Tu verò propter rem viliſſimam, ob lanam capri-

a *Prov. c. 14. v. 29.*

prinam aut scarabæi umbram, mox impatientissimus excandescis; quam primum aliquid displicet, aut non ex sententiâ succedit, aut ingenio tuo adversatur, statim fel & acetum evomis, mox iram & impatientiam prodis. Tange montes & fumigabunt. *a* O mons malitiose! vix tangeris & fumigas! Quid ais homo marsicule, qui minimo momento impelleris ad iram? O ingenium percitum nimis ac ferox; quam facile fit, quod doleat! Florenos pauculos furto aut fraude aliâ sublatos perdis; nomini aut existimationi tuæ paullulum decerpitur, humanam gratiam amittis. ô damnum irrecuperabile! mox tonitrua, mox furor & excandescentia, & flumen bilis funditur. O bone, quam multum à familiâ Jobi degeneras! quam non æmularis charismata illa meliora! Qui impatiens est, exaltat stultitiam. Quod Siracides non absque minis confirmans: Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. *a* Iob inter tam multiplices luctus patientiæ tamen observantissimus fuit; omnia per-

a. *Eccl. c. 2. v. 16.*

perdidit, patientiam non amisit.

Ex hac Jobi familiâ Spiridion fuit, vir singularis patientiæ. In hujus ovile noctu effractores & abigei subrepserant. Sed Deus qui pastorem servaverat, servabat & oves. Fures nec regredi, nec progredi potuerunt: Ita facilè capti sunt. Manè Spiridion ad oves revisit, quas inter, pro custodibus fures reperit. Hic Spiridion commeritam iram dissimulare, ad lenitatem se componere, omnem verborum acrimoniam supprimere, hortari potiùs & rogare, infame hoc opificium desinerent, honestis potius laboribus pararent victum. Ne tamen, inquit, hac nocte frustrà vigilaveritis, hunc vobis arietem accipite; donum non leve, si meum æstimetis affectum. Hic vir profectò è Prosapiâ Jobi fuit, qui oblata casu flexit ad consilium, & in rationem vertit necessitatem. Nos hujus genii non sumus, qui plerunque perdimus sustinentiam, & exaltamus stultitiam impatientiâ; nec Deus quidem ipse à nostrarum impatientissimo æstu irarum securus est; os nostrum in cælo ponimus, & non raro Deum

 obli-

obliquis accusationibus incessere non veremur. Ad augendam porrò & conservandam patientiam faciet, divinam providentiam in duobus potissimum considerare.

Primum. Providentia divina in quotidianis Mundi suppliciis se admirandam exhibet. Nam nisi crebrioribus tentationibus, ærumnis, calamitatibus excitaremur, cælum reverâ parum calidè desideraremus, contenti vitæ hujus amarissimâ dulcedine: quotusquisque diceret: mihi quidem bene est; hic requies, hîc patria mea. Idcirco divina providentia ingenti miseriarum varietate terram nobis exosam cupit reddere, perinde ut cocus, qui vult quædam ferculorum removeri, ea sale plus æquo condit, aut pipere, unde facile novit, non multum ambienda: ita certè divina providentia hanc mortalem vitam variis cladibus exasperat & acerbat, ut vitam desideremus meliorem & æternam: unde pii gemitus, & beatæ lacrimæ. Cum Hebræo populo sic egit Deus in Ægypto. Infantuli eorum velut canes excutiebantur in flumen, ipsi ad opus lateri-

tium

tium adigebantur flagellis, undequaque afflictissimi erant, absque hoc fuisset, nullus mortalium eos in promissas uberes terras educere valuisset. Ad iter illos fecit expeditos ærumnarum copia. Ita nos sanè parum ardentibus desideriis cælum pulsamus, quamdiu terra favet. Augustinus humanæ gentis stuporem admiratus dixit, O infelicitas generis humani! amarus est mundus; & diligitur: putas, si dulcis esset, qualiter amaretur? Flores illius quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum. *a* Qui mortalium stupor etiam Chrysostomum attonitum reddidit, ut exclamaret in hæc verba. Si nunc tam libenter præsenti vitæ immoramur, cum sint tot tristia, pericula, timores, & curæ nos undique circumstantes: si nihil horum esset, quando unquam futura desideraremus? Plurimum igitur debemus afflictionibus paternis.

Alterum: Quotidie peccamus, & aggeramus debita, sed bonus Deus favore maximo sua sibi solutionem expedit, noxas quotidie punien-

a *Aug. serm.* 111. *de temp. & alibi.*

niendo. Quotidiana peccata provocant quotidiana ſupplicia. Hæc illorum piacularia ſunt ſacra. Quotidie peccas? quotidie puniendus es; idque ſi fiat, ſummam gratiam interpretare: ſic eluunt pænæ, quod inquinant noxæ. Quam rem eximiè Chryſoſtomus elucidans: Peccatum, inquit, ſanies eſt; pœna ferrum medicinale: ſicut igitur ſaniem habens, ſi non ſecatur, in majoribus malis eſt; ita peccator ſi non puniatur, omnium miſerrimus eſt. *a* Norunt bonæ mentis homines, Semper aliquid nævorum in animo ſuppurare, hinc ſemper opus eſt caſtigationis malagmate, quod purulentiam hanc ſiccet. Siracides hoc ipſo ſenſu: In die tribulationis, inquit, commemorabitur ſui, & ſicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua. *b* In utroque igitur divinam providentiam adoremus, quæ pænis eluit corrigitque noxas, & dum mortalem exacerbat vitam, provocat ad immortalem & æternam. A ſuppliciis ſapimus.

a *Chryſt:* [illegible] *6. ad pop:*
b *Eccli: c. 3. v. 17.*

Caput XI.

Nuntius quartus liberorum interitum docet Iobum: ille nos tolerantiam in funeribus amicorum.

TRiplici conflictu Jobus cum Satanâ, eam exeruit virtutem, eam reportavit victoriam, ut illud Venusini de hoc viro verissimè possit affirmari: Illi robur, & æs triplex circa pectus erat. a Primi tres Nuntii quantumcunque luctuosi, Jobum tamen ad impatientiam & pusillanimitatem impellere non potuerunt. Vox Jobi constans erat: sint ablata omnia: Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum. Facultates mihi mutuò concessas non conqueror à me repetitas: depositum reddo.

Cacodæmon igitur jacturus aleam, & aggressu quarto tentaturus Jobum, iis viribus eôque nocendi stratagemate, insultu tam valido patrem optimum invasit, ut nemo fieri posse crediderit, Jobi patientiam non expugnandam. Decem Iob liberos habuit: Septem filios, tres

a *Horat. l. 1. Oda 3.*

filias. Omnes tunc unà erant, in eâdem domo convivantes, læti, concordes. Subitò coorti turbines eâ vi domum concusserunt, ut collapsa sit, & omnes Jobi liberos unà, sed horribili ruinâ sepeliverit. Hîc primo loco dicendum, quo animo Jobus Deplorabilem hunc casum tulerit; Deinde, quâ æquitate animi nobis funera parentum, liberorum, cognatorum, amicorum, aliorumque charorum sint toleranda.

Tristissimum cursorem quartum Historicus sacer his omnino verbis depingit: Adhuc loquebatur ille (cursor tertius) & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & Filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt: & effugi ego solus, ut nuntiarem tibi. *a* Ecce nuntius reverâ longè luctuosissimus! decem hominum carissimorum funera simul nuntiantur. Cujus parentis cor duraverit in tam repentino vehe-

a *Iob c.* 1. *v.* 18. *& seqq.*

vehementi luctu: Consideremus paullulum istius cladis acerbitatem.

1. Repentè hoc contigit, nemine hic quidquam mali metuente; plurimum autem horroris habet subitum ac grande malum. 2. Decem liberi Job in convivio & inter epulas sunt oppressi, dum vino calerent, dum hilaritati vacarent, antequam purgarentur sacrificiis; ita forsan obnoxii peccatis obierunt. Hinc Absolonem Rex David acerbissimè luxit, quòd metueret, ne peccatis mersus raperetur ad supplicia immortalia. 3. Omnes liberi Job domûs lapsu obtriti, nec unico quidem filio servato aut filiâ, in familiæ propagationem: & tamen servus, cladis nuntius, evasit. 4. Obtriti sunt autem tam fœdè, quod Chrysostomus censet, & cadavera sic deformata, ut internosci nequiverint pro sepultura. 5. à Cælo & vento hæc tanta clades fuit. Inde pronum erat cogitare: Deus toti familiæ Jobi offensissimus est, omnes vult extinctos. 6. Luctuosissimum hunc Nuntium Cacodæmon studio in hunc locum distulit, verâ nocendi methodo, ut quamvis nuntiorum

nullus pusillanimem Iobum aut impatientem redderet, hic tamen ultimus id posset, ob parentum maximum in liberos amorem. Latinus Pacatus in panegyri Theodosianâ: *Instituente naturâ, inquit, plus ferè filios quàm nosmetipsos diligimus.*

Iacob Filium unicum amisit Ioseph, qui primogenitus non fuit, nihilominus parens mæstissimus vestimenta rupit, cilicium induit, & annis compluribus funus filii fictitium luxit. Cumque solatii adhiberentur fomenta, noluit consolationem accipere; sed ait: Descendam ad Filium meum lugens in infernum. *a* Mortuo Ioseph, vita mihi omnis amara est. Augustini calculo, transegit Iacob in luctu & lacrimis viginti tres annos. Quanta igitur virtus Iobi fuerit, quæ decem liberorum repentinum obitum tantâ ferens æquanimitate, adoravit & dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

Solon

a *Gen: c. 36. v. & seqq.*

Solon è septem Græciæ sapientibus, vir magnus, Plutarcho teste, Mileti apud Thaletem, (qui ad nuptias neque blanditiis neque rationibus adduci poterat,) hospitatus est liberaliter. Thales hominem peregrinum subornavit, qui se recens Athenis venire simularet, & filium Solonis mortuum nuntiaret, atque in ejus rei confirmationem, funeri sese interfuisse diceret. Hìc Solon, ultra quàm virum adeò sapientem deceret, luctum nihil dissimulare, altùm ingemiscere, lamentari, caput cædere, & se quàm maximè hominem fateri. Ad quem opportune Thales: Et hoc est, mi Solon, inquit, qùòd uxorem non ducam; hoc tali luctu carere malo. Quanta igitur Iobi sapientia, æquanimitas, patientia, quanta viri virtus, in decem clarissimorum pignorum, conjunctis exequiis, & patrem se agnoscere qui genuerit mortales, & ostendere se virum, qui tot liberorum necem æquanimiter perferre possit. Nam in his omnibus non peccavit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Luctum & mærorem è charorum funeribus contrahere, humanum est, nec vetitum, sed lugendum cum ea moderatione, quam beatus Paulus præscribens: Nolumus, inquit, vos ignorare Fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non-habent. *a* Quo sensu egregiè dixit Bernardus: Non culpamus, affectum, nisi excedat modū. *b* Tertullianus nobilissimo scripto de patientiâ, vehementiorem æquo tristitiam, Impatientiæ speciem appellet; cùm scilicet parentes à liberis, aut hi ab illis ita deflentur; cùm cognatorum aut amicorum; cùm benefactorum aut Patronorum funera ita deplorantur, perinde si Deus solatium & auxilium omne subtraxisset. Quòd si rem ad vivum resecemus, undecunque oriatur mœror aut luctus, nunquam ei nimium indulgendum: ob caussas quas adjungimus.

Prima: Luctus & mæror pariunt morbos & ipsam quandoque mortem. Cor mœstum constringitur veluti

a 1 *Thess. c. 4. v. 13.*
b *Bern. serm. 26. in Cant.*

luti pyrum in sole tostum. Cur miseri nostra nobis ipsi mala duplicemus intempestivo luctu? Satis sit amisisse pecuniam aut cognatum, cur insuper sponte incurram morbum? cur vitæ annos mærore non profuturo imminuam? Luctus est tabificus, qui cor hominis corrodit, contrahit, exest, discerpit, vires imminuit: hinc tabes & morbi, hinc interitus & mors. Asinius Pollio induratæ vir patientiæ, quo die filium charissimum amisit, convivio interfuit. Anaxagoras philosophus, nunciatâ filii morte: sciebam, inquit, me mortalem genuisse. In eadem constanti patientiâ fortissimos sese præstiterunt alii complures. M. Horatius Puluillus templum solenni ritu dedicans, cùm sub actione illa mors filii nunciaretur, hoc unum respondit: Vos cadaver curate; ego meum officium: *a* Et perrexit. Hieronymus in epitaphio Nepotiani fortium ejuscemodi virorum bene longum texit catalogum. Ac revera in rem suam fortis est, quisquis luctui moderatur.

Secun-

a *Livius Decade* 1. *l.* 2.

Secunda causa: Deus plurimos è vivis tollit maturè, quia prævidet seducendos, aut ab aliis, aut certè à se ipsis. Quot juvenes, quot puellæ sanctè moriuntur, quibus ætas adulta fuisset via ad vitia? Quot viri feminæque obeunt ætate adulta, quos senium deduxisset ad Tartarum. Hæc omnia Deus sapientissimè prævidens, vitæ filum plurimis incidit maturiùs, ne vitam perdant meliorem. Non paucos paterna prorsus miseratione calamitatibus futuris subducit, ne prolixioribus intabescant suppliciis, & celeriore morte pertingant ad vitam. Sapientia clamitat: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. a Hinc plerumque quò juniores morimur, hoc sanctiores. Cyprianus mortuos moderatissimè lugendos suadens: Cùm sciam, inquit, eos non amitti, sed præmitti; neç

a *Sap: c. 4. v. 11.*

nec accipiendas hîc esse atras vestes, quando illi indumenta illic jam alba sumpserint. Et profectò idololatræ tam immodico Christianorum luctu non leviter offenduntur. Quomodo enim eos tam miserabiliter deploramus, quos apud Deum & optimo esse loco inter cælites affirmamus? Verba factis reclamant. Si in cælo sunt, quod speramus, & illis & nobis gratulemur.

Tertia caussa: Tot fortium Christianorum summa in domando luctu generositas. Singularissimam hac in re laudem tulerunt feminæ, quæ filiorum cædem masculo prorsus spectarunt pectore. Machabæa princeps septem filios; beata Felicitas septem quoque filios; Beata Symphorosa totidem planè filios in conspectu suo trucidari spectarunt animosissimè. Machabæa quidem herois illustrissima unà cum septem filiis coram Antiocho Rege virtutis suæ dedit spectaculum. Nam filii omnes in oculis matris, ordine tormentis exquisitissimis affecti, sartagines & ollas æreas tulerunt. Et primo quidem amputata lingua & cutis à capite

capite abstracta, summæ quoque manus & pedes præcisi, ipse spirans etiamnum in sartaginem conjectus, fratribus & matre inspicientibus. Ita secundus, ita tertius, ita quartus & quintus, ita sextus & septimus adstante ac inspectante matre excarnificati sunt atrocissimè. At verò mater æternis annalibus dignissima, morientium filiorum exhortatrix animosissima, tot sibi mortes inferri. *Bono animo ferebat propter spem, quam in Deo habebat.* a Eheu nos modicæ ac perbrevis patientiæ homines! mala nostra iniquo animo ferimus, quia in Deo spem non habemus. Sic sancta Felicitas septem filios se spectante cruciari & necari sustinuit. b Sic sancta Symphorosa filios totidem, se præsente crudeliter laniatos & jugulatos ante se præmisit in cælum. Hac Heroidum triga Jobus nequaquam inferior, decies in suâ Sobole, mortem triumphavit; de quo Chrysostomus: Beatus Job, inquit, nihil acerbi passus est, cùm intempe-

a 2 *Mach. c. 7. v. 20.*
b *V. SS. latinos 7. Martii & 18. Iulii.*

tempestivam liberorum suorum mortem audiret, eò quòd Deum plus amaret quam illos. Utrum autem Abrahamus, filium mactare jussus, an amissis decem liberis Iobus, plus luxerit; problema esse volumus.

Quarta caussa: Immoderatus luctus divinæ Voluntati & patientiæ reluctatur. Voluntas Dei cuivis hominum suos & patiendi & moriendi terminos fixit, an illos loco movebimus? Quid autem lamentando aliud agimus, cùm protervè dicimus? ô rigidum fatum! talem opitulatorem, talem amicum, talem benefactorem nunquam amplius nanciscar. O nullius spei homines! potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. a Placuit sanè Ambrosio mos ille, quem Trausi, Getæ ac Causiani tenuerunt: qui nascentes luctu & lacrimis, morientes plausu & tripudiis prosecuti. Neque displicuit mos Lyciorum, qui viris in luctu vestem assignarunt femineam, ut effeminatum ac molle pectus significarent. Idem Ambrosius in Valentiniani Imperatoris funere dixit; David moritur

a *Luc. c. 3. v. 8.*

turum filium flebat, mortuum non dolebat. Flebat ne sibi eriperetur; sed flere desiit ereptum, quem sciebat esse cum Christo. Quo sensu Hieronymus ad Paulam perscribens: Cur, inquit, dolemus quemquam mortuum? An ad hoc nati sumus, ut maneamus æterni? *a* Hæc suo quoque calculo confirmans Chrysostomus. Cùm quis moritur, ait, & doles, in conscientiam tuam inquire, quòd te idem paullò post manebit exitus. Emenda te. *b* Lugemus mortuos, & brevi etiam morituri non emendamus vitam. Luctus sterilis & vanus. Non redibunt ad nos mortui, sed nos transibimus ad illos. Omittamus lacrimas, & paremus iter. Emenda te, inquit Chrysostomus, & mortuum satis luxisti:

Vis scire, mi Christiane, unde in nobis turbationes oriantur tam crebræ, tam varii luctus, tristitia & mœror tam frequens proveniat? Caussam è prisco Patre liquidissimam colligimus. Basilius sapienter & verè:

a *Hier: ad Paulam super obitu Blesillæ.*

b *Chrys: in epist. I. Thessal. c. 4.*

verè: Tunc assequêris, inquit, ut semper gaudeas, si vitæ tuæ institutum ratióne omnis ad Deum collimet & spectet. Hinc lugendi, tristandi ac mœrendi copiosissima seges, quia non in rebus omnibus ad Deum collimamus. Hinc reverâ illæ lacrimæ. Extra Deum vagamur huc illuc, nec coram Deo, ut facere jussus est Abraham, ambulamus; hinc non raro levicula quæque res in grandem nos luctum conjicit. De mago Elymâ dicitur: Cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. a His tenebris volutamur vagi à Deo, & Elymâ miseriores, nec quidem quærimus, cui tutò manum porrigamus. Jobus in ærumnis omnibus unum Deum respexit. Hinc illæ voces animosissimæ: Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Tu igitur, quisquis in luctu es, spera in Domino, expecta Dominum, viriliter age; & confortetur cor tuum, & sustine Dominum, sustine, sustine. Tantò autem faciliùs sustinebis Dominum, quantò eum attentius in rebus re-

a. Act. c. 13: v. 8.

ſpexeris. Perpetua gaudii materia, oculus in Deum ſemper reflexus.

Caput XII.

Generoſiſſimus Iobi animus è triplici maximè dicto perſpicitur.

E Romanis vir robuſtiſſimus Fuſius Salvius, ut Plinius refert, iis pollebat corporis viribus, ut quotieſcunque collubeſceret, roboris ſui experimentum ac ſpecimen daturus, duo centenaria pondera ceperit pedibus, duo manibus, duo brachiis, duo humeris: ita univerſè octo centum pondiis onuſtus ſcalas aſcendit. *a* Robur prorſus incredibile

In Jobum Satanas quatuor immiſit nuntios. Quorum primus boves & aſinas omnes abactos: Secundus ovium ſeptem millia: Tertius camelos ab hoſte captos: Quartus decem liberos in una domo dum menſæ accumberent, miſerrimè obtritos nuntiabat. Adeò luctuoſi erant hi nuntij, ut eorum quilibet, præſertim ultimus, duo centenaria plumbi pondera pectori Iob impoſuerit: unde

a *Plin: l. 7. Nat: hiſt: c. 20.*

de nihil fuiſſet miri, ſi ad eam animi abjectionem, imbecillitatem, conſternationem, ad illas pectoris anguſtias redactus, & in tanto luctu ſuimet oblitus, jamque deſperationi proximus, ore pleno evomuiſſet impatientiam.

At Jobus tam patiens & magnanimus, ut eum hæc octo centenaria plumbi pondera non tantùm non compreſſerint, ſed in pedes erexerint, & animo cælum aſcendentem oppidò firmarint. Anteà quidem tacuit, nunc verò loquitur, Deumq; laudat, monitaque dat ſapientiſſima. Videte gradientem ad ſublimia, & per extenſiſſimas cæli ſcalas pertingentem ad Dei ſolium. Audite quid dicat patientiæ Magiſter: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.

Videte, obſecro; actorem noſtrum quàm præclarè ſe gerat in divinæ providentiæ theatro, quàm Herois inſigniter agat perſonam, non ſine maxima voluptate cæleſtis Curiæ & plauſu. Sed hujus tragicocomædiæ, nondum ultimus eſt actus, vix initium. Denuò ſenatus Angelorum

 ſuper

ſuper Jobi cauſſam cogetur, novum Satanas decretum accipiet, ipſum Jobi corpus & animum, ipſam ejus valetudinem modis omnibus affligendi. Hic profectò miriſſima ſpectabimus, & omni noſtrâ opinione majora. Sed prius aurea Jobi dicta, dicta cedro digna, eaque triplicia conſideremus. Primum eſt: Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Alterum: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Tertium ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum. De his quædam explicatiùs tradenus.

Quartus ad Jobum curſor, ubi ſermonem finiit, hæc ſacer hiſtoricus verba ſubjungit: Tunc ſurrexit Job, & ſcidit veſtimenta ſua, tonſóq; capite corruens in terram, adoravit, ac dixit: Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Tres nuntios mæſtiſſimos Job audiit, loco ſuo conſidens, immobilis, tanquam ea nihil ad ſe. At ubi mors decem filiorum nuntiata eſt, loco conſurrexit ad luctum & ad longiſſimum funus ſe compoſuit.

Quod

Quod vestimenta sciderit, quòd comam & barbam tondere voluerit, non impatientiæ fuere signa, sed doloris summi testimonia. Vetusti hoc moris fuit, noto luctûs indicio lacerare vestem. Jacob patriarcha cùm audiisset filium Ioseph à ferâ necatum, scidit vestimenta sua. a Rex David lugens in Saulis & Abneri funere, vestem conscidit. b Idem Rex Ezechias & legati ejus fecerunt. Hoc non solùm apud Hebræam sed alias etiam gentes usitatum, solitum & adsuetum est. Deinde Jobus testari voluit, hæc tam acerba non leniter à se sentiri, nec enim stoicum aut insensilem, sed pium & tenerrimi sensûs Philosophum.

Tunc igitur *surrexit Iob.* Hæc verba exponens Origenes: Cùm, inquit, surgeret, sic secum meditabatur Iob: Nunc tempus belli, nunc victoriæ acceptio, nunc coronarum compositio, nunc retributionis exspectatio. c Qui secundo Danubio

 navi-

a *Gen. c.* 36.
b 2 *Reg. c.* 1. *&* 3.
c *Origin: libro* 1. *commentar. in Iob.*

navigiis, aut Lyco ratibus vehuntur, cùm transeundus vortex, a monentur à nautis, ut ad cautiorem sessionem se componant; nauticus clamor auditur: *Attendite.* Cùm ingruunt adversa, quivis exhortetur seipsum: Attende, vorticosus locus est. Nunc animis opus, nunc tempus belli est; conceptam exere virtutem. Ita te gere, ut Deo & omnibus Dei Angelis spectatoribus te probes. Pugna generosè, vince strenuè; patientia vincit omnia. Et en tibi Iobum inter vitia duo medium! Primum appellari solet stupiditas, indolentia, insensibilitas Stoicorum: Alterum pusillanimitas & nimius doloris sensus. Job sensit, ac doluit, sed à Deo non recessit, pro doloribus gratias egit. Ergo & tu simile quid aude. Certantibus corona promittitur, non otiantibus: Facilius erit tibi, alterius exemplum imitari, quam præire. Juvat certè seipsum sic exhortari; & animare ad pugnam: Aut vince, aut cælum perdidisti: age, surge, & attende rebus tuis: nisi viceris, periisti.

Sec nec illud mysterio vacat, quòd

a Durch den Strudel.

quòd Jobus *ſcidit veſtimenta ſua.* Ævo illo mos obtinuit, viros primarios veſte pretioſa, ſed ſciſſa & lacerâ ſepelire, ne prædones cupiditate veſtium tracti exhumarent cadavera. Jobus tot ærumnis involutus ſic egit, perinde ſi dixiſſet: En ego ſum mortuus, mea igitur veſtis ſit, quæ deceat mortuum; ſciſſa & lacera. In prælio & conflictu maritimo, ſi pars altera ſe victam credat, quicquid boni eſt in navi in fluctus ſpargit, ne præda fiat hoſti. Haud aliter Iobus abjecit, quicquid impedimento futurum, aut hoſti ceſſurum credidit. Imitemur obſecro, & ad feliciorem cum morte conflictum, bona noſtra ſcindamus non ſolùm cognatis, ſed Chriſto & egenis, ne quid Diabolus ſuum faciat è bonis malè diviſis.

Præterea Jobus, prout initia ſeſe dabant ærumnarum, facilè conjectavit poſt ſua ſibi omnia adempta, ſeipſum denique ceſſurum in prædam, nec ſibi carnificem diabolum quidquàm parſurum. Ergo quod faceret lictor, Job ipſemet facit; veſtes ſibi detrahit & excipiendis ſe plagis

parat. Origenes Iobum hîc ita loquentem sistit: Ecce detectum paravi corpus ad dolorum tolerantiam; torque, contunde, verbera. Et quoniam Jobus è libro divinæ providentiæ satis collegit, decretum esse, ut tam ipse, quàm sua familia deridiculo habeatur, aptavit igitur se superorum decreto, & non tantùm capiti diadema, sed decus etiam naturale, crines & barbam abstulit, & *Corruens in terram adoravit.* Quâ unâ re luculenter testatus est Orbi, se probè perspectum habere, à quo hæc omnia provenirent, & quòd ille ademisset omnia, qui omnia dedisset. Atque hoc est, Christiani, cælestibus decretis obsequi, ac divinæ providentiæ se totum permittere. Hinc triplex illud nobilissimum, non auro solùm sed & gemmis scribendum manavit dictũ.

Primum. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Quicquid ignis & turbo abstulerunt, non meum erat; nàm horum penitus nihil mecum attuli, quo die in hunc Orbem immigravi, sed nec quidquam inde auferam, cùm emigravero. Nudus egressus

sum

ſum de utero matris meæ. Ita in ſcenam hanc prodii, ita etiam abibo. Optimè habet: meo in hunc mundum paupertino ingreſſui, ſimillimus erit egreſſus. Nihil attuli, nihil auferam. Cùm igitur certò ſciam, hæc mihi omnia relinquenda, cur non modò relinquam? Quid juvat ſpes longas & inanes texere? ſupplicium ſemel ſubeundum, non ſine ſupplicio differtur. Plerumque magna puniendo reo ſit gratia, ſi expectatæ pænæ demitur mora. Quod igitur aliquando relinquendum eſt, jam relinquam.

Mathematicorum cum Euclide ſcitum eſt: à puncto ad punctum recta ducitur linea. Jobus inter duo extrema vitæ ſuæ puncta, principium & finem, rectiſſimam duxit lineam: Pauperrimus, ait, meus in vitam ingreſſus fuit; pauperrimus erit egreſſus è vitâ. En virum! qui ex merito ſuo & ſimplex & rectus dicatur. En quàm opportunè in memoriam revocet primum carcerem in utero matris, & ſecundum in utero telluris. Hæc namque illius verba ſunt.

Nudus egressus sum de utero matris meæ. Genitricem suam designat, quæ ipsum novem mensibus intra viscera gestavit. *Nudus revertar illuc* ; sub terram è cujus grandi utero Adamus, & nos omnes ab ipso nepotes prodiimus , suo quisque ordine redituri. Notum cæleste carmen : In sudore vultus tui vescêris pane tuo , donec revertaris in terram, de quâ sumptus es : quia pulvis es & in pulverem reverteris.

Et nos etiam, obsecro, tam sobriè philosophemur cum Jobo , præsertim cùm pecunia nobis , aut charum aliquid adimitur. Secum quisq; hæc volvat : primum Carcerem meum habitavi verus homo ; ubi his sarcinis nequaquam indigui, cibum, potum , vestem suppeditavit mater ; nunc ista studiis tàm contentiosis quærito, ac si salus omnis, & beatitudo in illis verteretur, cùm sciam hæc mihi omnia magis impedimento esse quam adjumento. Secundus carcer, in quem pertrahemur brevî , terra est. Nudus revertar illuc , nec obolum mecum asportaturus. Omnia mihi hic relinquenda, quæ temporis

& ter-

& terræ ſunt ; & neſcio ſanè hodiernâ luce an craſtinâ repetantur à me, quæ mutuò accepi. Primum vitæ meæ punctum, introitus egentiſſimus : ultimum punctum exitus cum introitu ſimillimus. Cur ergo ab uno ad punctum alterum, non rectam duco lineam ? cur medium facio tam curvum ? cur inter utrumque finem pauperrimum, copiam rerum omnium & abundantiam expoſco ? Nudus egreſſus, nudus per lineam rectam, rectiſſimam revertar. Hæc profectò aut non cogitamus, aut cogitantes prout par eſt non æſtimamus, momentis ſuis minus exacte omnia ponderantes.

Alterum Jobi dictum : *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Quicquid habui, alienum fuit : mutuum fuit, à Deo commodatum fuit. Quod aliquanto tempore fruendum dederit, illi ſunt agendæ gratiæ, quòd ſuum ſibi receperit, querelæ contra illum nullæ ſunt movendæ. Dedit ſua, abſtulit ſua ; poſtquam ſum uſus mutuanti gratias ago.

Ita prorſus ſentiendum, ita & loquendum eſt. Aliter dicta, malè

dicta.

dicta. Illud præcipue, *Dominus abstulit*, usque & usque accuratissimè inculcandum, ut vel demum philosophiam hanc capiamus. Anno *a* quo hæc scribo, innumeræ in Europâ totâ sunt querimoniæ: Bavaria, Suevia, Alsatia, Austria, Silesia, Bohemum, Sicambri, *b* Batavia, Gallia, Italia, Provinciæ, ac regna omnia, sua sibi queruntur erepta, & verò etiam cladium suarum auctores nominant: Ab his ducibus, ajunt, ab his legionibus, ab istis militibus tantum damni nobis illatum est. Sed age nunc, ô mea Austria, ô Bohemum, ô Rhætia utraque. *c* age ô charissima Germania, vosque cæteræ provinciæ omnes, memorate vestras quascunque perpessæ rapinas estis, & incendia illa injuriasque exaggerate quantum potestis; nemo isthæc absque commiseratione audierit, nemo legerit. Quod si autem hominibus, quidquid damnorum est, impingitis, miseratio in risum desinet. Quia cælo aberratis, & quidem toto, toto.

Huc

a *Annus fuit* 1633. b Francken.
c Schwaben und Bayern.

Huc enim, huc obſecro, ad Theatrum Jobi paullulum conſidete, & errorem deprehendetis, auctorem calamitatum audietis, DOMINUS ABSTULIT, DOMINUS ABSTULIT, idque centies, idque millies repetendum, DOMINUS ABSTULIT. non Dani, non hoſtes Nortmanni, ſed qui hoſtes hos miſit, ille ipſe hoc fecit; DOMINUS ABSTULIT.

Sed, ô mi bone Job, multá millia hîc reclamant: Erras, vociferantur, erras, ô Job, erras; tua tibi abſtulit diabolus, ille tempeſtatem & turbines commovit, ille ignem in tuas oves cælo devocavit, ille domum, in quâ liberi tui convivabantur, immiſſo turbine dejecit; reliquum Chaldæi & Sabæi abſtulerunt.

Sed Jobus ſermonis ſui tenaciſſimus, identidem vociferatur: Dominus abſtulit, Dominus abſtulit. Nam Dominus Diabolo, Dominus Chaldæis & Sabæis poteſtatem fecit auferendi Iobo omnia. Abſque hac poteſtate illi nec vel unam oviculam rapere, nec vel pilum quidem tangere potuiſſent. DEUS Chaldæis, & Sa-

Sabæis, Deus Diabolo uſus eſt, ut inſtrumento. Quemadmodum igitur opus confeciſſe dicitur non lima, non malleus, ſed opifex qui limâ & malleo eſt uſus; ita qui licentiam dedit, qui facultatem auferentibus conceſſit: Dominus abſtuliſſe firmiſſime credendus, & exemplo Jobi eſt laudandus.

Tarquinius *Superbus*, Romanorum ſeptimus, ſed ultimus Rex, cogitabat arcanum Gabios ad filium tranſmittere reſponſum. Ergò tabellarium Dominicos juſſus exſpectantem, lentè ambulando per hortum duxit (ubi baculo ſummorum papaverum capita decutiebat) itàque nuntium dimiſit. Quis quæſo papavera truncavit, baculus an Tarquinius, qui ea non attigit? Non baculo certè, ſed Tarquinio leguminum hæc cædes rectiſſimè tribuetur. Ita reverâ Deus nos punit, ſed utitur inſtrumentis, hominibus & diabolis, ſicut & ceteris rebus creatis: Facit hæc omnia Dei manus, ſed armata, vario inſtrumenti genere; homines & Diaboli fuſtes & baculi ſunt, quibus nos ferit Deus, quibus ſpoliat,

quibus

quibus punit. Ita Dominus aufert, Dominus abstulit, Dominus auferet. Sic regna & provinciæ, sic urbes & pagi cogitent. Erepta sunt nobis nostra; Deus eripuit, sed per illos & istos. Ita quivis hominum de se rebusque suis ratiocinetur: damnum quod contraxi, Deus intulit; morbum, in quem incidi, Deus immisit; vulnus quod accepi, Deus inflixit, verùm per has & has caussas, per hæc & hæc instrumenta. Hinc Amos ausus est dicere: Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit. *a* Quod Michæas confirmavit similibus verbis: Descendit malum à Domino in portam Hierusalem. *b*

Tertium Jobi dictum: *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Triplicia hæc dicta tam sunt vibrantia, tam plena sensu & eruditione sacrâ, ut cupiam ea omnium Christianorum animis summo studio inscripta. Quidquid uspiam friati, & ad pingendum scribendumque commoliti est auri, in hujus

a *Amos c. 3. v. 6.*
b *Mich. c. 1. v. 12.*

hujus unius ornatum scripturæ insumatur: Unionum gemmarumque quidquid in varias dispositum figuras, per corpus & vestes hominum ludit, in has ipsas Jobi gnomas, æquissimum est, ut congeratur exprimendas. Cum Cosmas monachus è dictis Athanasii quippiam impensiùs laudasset, Basilius abbas auctorem hunc summi æstimans: si, ait, inveneris aliquid ex opusculis Athanasii, nec habueris chartam, in vestimentis tuis scribe illud. *a* Ita ego de Iobi dictis, si desit charta; si pugillaribus, si membranâ careas, non strophio, non vestimento parcas, auro scribe, gemmis exara. quamvis parum sit vel auro vel gemmis nobilissima hæc dicta scribi: Omnium pectoribus velim Christi sanguine ita illa inscribi, ut nec deleri, nec abradi, nec oblivione ulla exedi possint hæc ipsa verba: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Quod Deus ab omni æternitate statuit, decrevit, & velut circino descripsit, atque ad unguem exegit, illud omne nunc fit, non minus, non amplius.

a *In prato spirit.* c. 40.

plius vel punctulo, quam destinatum. Dei voluntas mihi pro mille rationibus est. Hanc pronissimis ulnis amantissimè complector: Providentiam divinam in rebus omnibus veneror & adoro, quia certus sum, absque providentiæ divinæ licentiâ, me à nemine vel culmo quidem lædi posse. Ego sum vile Heliotropium, sol meus supra me in excelso lucet, ad hunc solem meum me verto, illi me totum debeo, totum consecro, ad omnes illius nutus me conformo. Sicut Domino placuit, ita factum est, ita fiet, ita futurum est.

Sit nomen Domini benedictum. O melos cygnæum! ô cæleste canticū! ô symphoniam longè suavissimam! quam omnes Angeli, quam vel totum cælum non sine voluptate audiat. In adversis Deo gratias agere, longè optima est musica extra cælum: ipsi Angeli non suaviùs modulentur; imò hîc à nobis illi discant. Nam suum Angelis trisagion illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus, facilè expedit vita sine dolore; Nos qui innumeris colluctamur malis,

rem certè magnam præstamus, si etiam inter dolores Deo gratias agimus. O Jobe, vel inter miserias extremas beatissime, qui in maximo luctu cantilenam multò dulcissimam cecinisti: *Sit nomen Domini benedictum.* Quis, ô virorum patientissime, quis tibi tuum tam lætum, Deo gratias, dictavit, nisi æquanimitas & patientia constantissima? Hanc Gregorius Nazianzenus considerans: Gratias ago, inquit, ut in rebus lætis, ita etiam in acerbis, quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam Rationem expers esse rationis.

Quisquis in omnibus adversis tam contra Diabolum quàm diaboli asseclas cupit esse munitissimus, hoc triplex Jobi dictum veluti septemplex scutum sibi oppandat.

1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.*

2. *Dominus dedit, Dominus abstulit.*

3. *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

Atque

Atque hoc æs triplex circa pectus: hæc Ioabi Ducis lancea tricuſpis eſt, quâ omnes hoſtes ſternamus, quâ ictus, quâ plagas, quâ glandes plumbeas omnes exeamus. Hæc catapulta triplex totas ridet Diabolorum phalangas. Tam levibus impendiis maximæ ſtant victoriæ.

CAPUT XIII.

Iobi Virtus à Satana per calumniam elevata, ulterius exercenda datur.

SI ab Orbe condito cacodæmon unquam, certè in quadruplici cum Jobo conflictu, pudore affectus eſt graviſſimo. Indubiam ſibi victoriam ſpopondit nequam hic mendacifigulus. Nec enim credidit fieri poſſe, quin Jobus poſt ereptas facultates, poſt abactos greges, poſt occiſos liberos exardeſceret in impatientiam, & Deum violaret linguâ. Sed ſpe ſuâ turpiſſimè falſus eſt Orcinianus pugil. Nam Jobum certantem & hoſtibus omnibus ſuperiorem laus deſuper adveniens in hunc modum mactavit. In omnibus his non peccavit Job labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum lo-

cutus est. *a* Non tantùm non convitia, non blasphemias, non impiam vocem ullam in Deum jecit, non excandescentiæ ignes evomuit, sed Deum etiam laudavit, divinam in se animadversionem approbavit, Deo pro tam acerbis offis gratias egit. Hoc autem inde provenit, quia in se suisque omnibus divinam & plane paternam providentiam agnovit, eique se totum perfectissimè commisit. Ita Jobus cacodæmonem non tantùm pudore horribili affecit, sed longè graviùs percussit, quam ipse à cacodæmone vapulârat. Quâ de re Origenes pulcherrimè disserens: Non tantum, inquit, tetigerunt Diaboli sagittæ Jobum, quantum Diabolum vulneraverunt Jobi gratiarum actiones. *b* Hæc ardua patientia & patiens constantia mirificè à priscis Patribus laudatur. Hos inter facundissimè Chrysostomus: Fortiter, inquit, colluctatus est Diabolus, sed athletam vincere non potuit. Immanes suscitavit fluctus, sed firmissimam petram movere non valuit;

a *Iob: c. 1. v. 22.*
b *Orig: l. 1. in Iob.*

valuit; machinationes ſuas adhibuit, ſed turrim validiſſimam non ſtravit; arborem concuſſit, ſed poma non dejecit, ramos quidem confregit, ſed radici nihil nocuit; parietem perforavit, ſed theſauros auferre non potuit. In omnibus his non peccavit Job labiis ſuis.

Nimirum Jobus providentiam æternam ſic arctè complexus eſt, ut inde nullus eum turbo potuerit avellere. Stetit ut Marpeſia cautes, patientiſſimus, conſtantiſſimus. Quapropter denuò, & jam ſecundùm convocatus eſt Angelorum ſenatus. Quid in ſanctiore hoc concilio concluſum ſit, quantum Diabolo conceſſum, ita exponemus, ut primo loco dicamus, quam ſævam ſitim alat cacodæmon in noſtram perniciem, & quam nequiter illud, *pellem pro pelle*, in ſenatu allegarit.

Primás quatuor tentationes, quadruplicem acerbum ſanè mœrorem tantâ patientiâ, magnanimitate, conſtantiâ Iobus ſuſtinuit, ut Diabolus ſua ipſe mendacia erubeſcens, plus doluerit ſe vinci, quam Iobus ſe oppugnari. Hînc non invitus credam,

ad alterum hoc concilium cacodæmonem, tanquam apertè invidum & mendacem, vi vocatum in jus, ut reum se fateretur; qui Jobum innocentem falsò accusasset. Hinc etiam post primam illam tempestatem multò sævissimam pauculi dies, aliquid certe temporis elapsum est, dum senatus Angelorum denuò coisset; de quo sacer Historicus ita loquitur: Factum est autem, cùm quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan: Vnde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram, & perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Satan: Nunquid considerasti servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens Satan ait: pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima suâ.

Quem Christus Mundi princi-

pem appellat in cænaculo, is sese Orbis circuitorem vocans: Circuivi terram, inquit, & perambulavi eam. Post spatiosam hanc ambulationem adfuit ad Angelorum curiam nequissimus ambulator, sed quia silentio fatebatur culpam, præses curiæ Iobum uberrimè laudans: Tu, inquit, commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Humanos mores induit hoc sermone summus senator, & hinc frustra se commotum ait, & unà Iobi laudes ita repetiit, ut augeret, & illud insuper elogii adiiceret, *Adhuc retinens innocentiam.*

Videte promptissimam virtutis remunerationem. Pugnavit Iobus fortiter, & vicit; mox à cælitum senatu novis ornatur titulis: *Et adhuc retinens innocentiam.* Tu verò nequissime veterator ante prælium cecinisti triumphum, & ante victoriam erexisti trophæa, atque innocentiam Iobi apertissimis onerasti mendaciis. Elusa est iam spes tua, quâ credebas fore, ut Iobus undequaque afflictissimus in impatientiam versus, impias in Deum voces spargeret. Nihil minus

nus fecit. Laudavit Deum, Deo gratias egit. Ita post omnes tentationes tuas, post admotas quascunque machinas, post luctus & animi dolores acerbissimos. *Adhuc retinet innocentiam.*

Hîc Diabolus novam accusationis calliditatem commentus: Pellem pro pelle inquit, & cuncta quæ habet homo dabit, pro animâ suâ. Advertite obsecro, ut astutissimus mango mendacia sua colorare, & fucis suis mantellum obviam possit mittere: Job, inquit, pelli suæ metuit: pellis propria, pellis perchara. Pelles alienas pecoris, sed & liberorum discerpi, aut afferri non adeò iniquè tulit, modò ille suam servet integram. Pretiosissima rerum omnium valetudo & vita, & ideò etiam charissima. Periculum pecuniæ facilè negligimus, modò non subeamus valetudinis & vitæ. Fortassis grave sit alicui, egere; sed multò gravissimum est non valere; non vivere. Modò Job vivus & sanus sit, quid tum, si sit egenus? Alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi. *a*

Accusatio nova, sed mendacissima; & quam exitus rei docebit meram fuisse calumniam. Divina ergo providentia cum ab omni æternitate prævidisset, quomodo Jobus in altero etiam congressu pugnaturus & triumphaturus esset, licentiam dedit.

a *Iob*: c. 2. v. 5.

dit Diabolo: vexaret eum, & affligeret, ut vellet, modò non eriperet vitam. Itaque jam secundùm lata est sententia & fixum decretum, ut videbatur adversus Iobum, sed reverâ in maximam Iobi laudem ac felicitatem. Verba decreti sunt ista: Ecce in manu tuâ est, verumtamen animam illius serva. *a*

Quàm admirabilem se Dei providentia in hoc theatro exhibet! Cacodæmoni multum permittitur, non totum. *Veruntamen animam illius serva.* Admetitur Deus omnem diabolo & asseclis diaboli potestatem, idque ad unguiculum, ut plura non possint, nec ultra nocere valeant, quàm iis Deus permittat. Ideò Christus in Oliveto dixit: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. *b* Ita hìc diabolo exactissimè præscribitur quousque liceat Iobum cruciare: *Animam illius serva*; rationem & intellectum ne turba, unde stupidus, insensilis, mente alienatus fiat. Sic enim omnis Iobi virtus intercidisset, promeritum omne cessasset.

Vult igitur divina providentia

 suis

a *Ib: v. 6.* b *Luc. c. 22.*

ſuis nec punctulum temporis perire, ut nullæ actiones eorum ſuo priventur præmio ac mercede. Deinde ſi permiſiſſet Deus Jobum in furorem aut mentis alienationem agi, omnem ſibi & Angelis abſtuliſſet voluptatem illius ſpectaculi, quo heros iſte tam graviter vulneratus, toties dejectus, tamen validiùs conſurrexit & ſtetit, hoſti reſtitit, patientiam auxit, Deum laudavit. Ecce ſpectaculum dignum, ait Seneca, ad quod reſpiciat, intentus operi ſuo Deus: Vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus. *a* Et certè ſi placeat Deo, animi gratiâ (loquitur ut homines) è cælo proſpicere, nil pulchrius in Orbe ſpectabit quam magnanimum ac patientem virum inter ruinas ſtantem & erectum. Ergo præceptum eſt Diabolo: Animam illius ſerva; crucia, torque, flagella, percute, ut vis, tantùm ei vitam non adime. Videte quàm ſollicitè Deus ſuos ſuorumque vitam attendat! Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum; unum ex his non conteretur. *b*

Sed

a *Sen. de provid. c.* 2.
b *Pſal.* 33. *v.* 21.

Sed perpendamus hic etiam inextinguibilem diaboli sitim in perniciem humanam. Monet & proclamat præco cælestis: Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. a Animula unica, si spes sit ad seducendum, plus est cacodæmoni, quàm omnia regna Mundi. Felis eo appetitu in mures fertur, ut impransa & incænata totos dies ad unius musculi cavum excubet & insidietur, adeò hanc aprugnam esurit. Sed multò vigilantior fele diabolus in seducendis hominibus; nonnunquam enim quinquaginta, sexaginta, sed & octoginta, sed & centum annis observat ac insidiatur, ut vel unicam seducat animam; patientissima felis. Neque verò sævissimus tantùm, sed & callidissimus est hic fallendi artifex. b

Cui nomina mille,
Mille nocendi artes.

Indumentum ejus è Leoninâ & vulpinâ pelle consarcinatum, uti vestes morionum apud nos cuneato

seg-

a *Apoc. c. 12. v. 12.*
b *Virgil. l. 6. Æneid.*

ſegmine *a* ſuuntur. Lyſander dux Lacedemonum dicere ſolebat: Quò non pertingit Leonina, ibi aſſuenda eſt vulpina pellis. Hac vaſritie incredibiliter excellit Taxiarchus *b* ex orco. Nam ſubinde ut latro ex inſidiis oppugnat; nos cum hoſte pugnamus inviſibili. Subinde ut famelicus lupus nos oviculas imbecilles invadit: Nonnunquam ut rapax Leo in nos pugnat, & inſidiatores oculos nec momento quidem â nobis avertit. Imò totus eſt leo, totus eſt vulpes, totus crudelitas & dolus. Mille aſtutias comminiſcitur, mille laruas ſumit, mille machinas in nos commolitur. Idcirco caput Apoſtolorum clamat: Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. *c* Si quando bos efferatus fune rupto vagatur urbe, omnes viâ cedunt & latebras quærunt: Hic è ſtyge taurus ferociſſimus magis fugiendus; cornu ferit, caveto. De Acheruntæo hoc

a Geſpickelt Narrenkleidt.
b Feldweibel.
c *Pet.* c. 5. v. 8.

hoc tauro Ioannes monet: Ille homicida erat ab initio. a Et quod miserrimum, nil pænè in nobis est, præsertim in corpore, quod illi ad parandas tentationes non serviat. Famelicos gulâ, saturos tentat luxuriâ, multos pecuniâ quæsitâ, alios quærendâ, quosdam perditâ irretit. Hos vestium pompâ, illos libidinum blandâ nequitiâ, hostis omnium. Ergo sobrii estote, & vigilate.

Verùm & illud stygii accusatoris dictum considerandum: *Pellem pro pelle*. Sua cuique pellis tam cara est, ut cùm eam retinere sinitur, mille alias pelles non invitus perdat. Hæc vita cuivis tam pretiosa est, & præ thesauris omnibus dilecta, ut denique omnia projiciamus, modò liceat retinere vitam. Serpens, naturâ id docente, pellem pro pelle relinquit, & exuvias veteres novis permutat, nec sine grandi labore: nam per saxa duo arctiùs juncta, operosissimè nititur penetrare, & ita senile tergum abstergere, quantumvis lacerentur oculi, decurtetur syrma; hæc enim

a *Ioan*. c. 8. c. 4.

enim ſperat renaſcitura. Qui in eodem cum tauro, circo componitur ad pugnam, non pileum curat, non pallium, non bardocucullum, *a* ſed vitam; modò evadat vivus, ſat vicit. Cùm in mari periculum eſt naufragii, nullis theſauris parcitur, non aromatibus, non frumento, non cedro, non corio, non aliis quibuscunque mercibus, ducentæ, aut etiam trecentæ ſacchari ciſtæ, ipſæ argenti laminæ in fluctus ſparguntur, modò liceat retinere vitam. Quantum animalcula etiam minima pugnant, pro vitâ? vermiculus pede leviter calcatus, ut in omnem ſe partem torquet, ne vitæ quid perdat! Pecudes aut aves ſauciæ, ut omnibus ſe modis defendunt, ne vivere deſinant! Magis hic vitæ amor in hominibus elucet. Qui in latronum cruentas manus delabitur, ſi vim vi repellere nequeat, promptus & arma & pecuniam, & veſtes, & quicquid pretii eſt, porrigit, dummodò vitam inde auferat. Ægrotus & morbis gravioribus fractus, ſi vel modica ſpes vitæ alluceat, omnes ſuas

a Spaniſche Kapp.

ſuas facultates in medicos diſſipat, modò vivat; imò mavult valere ac vivere, quàm quicquid rerum poſſidet, non perdere: tanta libido eſt lucis hujus propagandæ. Ita mulier illa quæ fluxu ſanguinis laborabat annis duodecim: erogaverat in medicos omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari, ſed magis deterius habebat. *a* Chirurgis ſæpe non pecuniam tantùm & numos, ſed & ipſum corpus, corporisque membra, & quaſi partem vitæ animæque dimidium impendimus, modò vitam, quantumcunque miſerè ſervemus, adeò tenax eſt lucis hujus ambitioſa mortalitas. Dulce eſt, vel in cruce pendenti, vivere. Pellem pro pelle.

O Mortales, ſi vita hæc ærumnarum pleniſſima, & quicquid fiat, brevi penitus deſerenda, tanti tamen eſt, ut prompti ac lubentes non mille ſolùm, ſed centum millibus ovium aut boum pelles detrahamus, ut pellem hanc unicam noſtri corporis

a *Matth. c.* 9. *v.* 18. *Marc. c.* 8. *v.* 3. 2.
Luca c. 8. *v.* 43.

poris paullò diutius retineamus; cur nostras non simul omnes sarcinulas dimittimus, ut immortalem vitam, ut æternas voluptates, ut thesauros nunquam defecturos comparemus? cur ad colligendos silices tam effusi ac prodigi, ad comparandas gemmas tam tenaces & parci sumus? Ah, quàm imperiti & stolidi mercatores! Beati cælites irrident nos, quod equum mutemus gingriâ. *a* Christus cælestis gemmarius ad intelligenda rerum pretia nos erudiens: simile est, inquit, regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. *b*

Iosephus in manibus heræ pallium reliquit, & cum eo pænè omnem felicitatem suam. Nam facilè conjectare poterat, se graviter accusandum, insuper in vincula, fortassis etiam in crucem rapiendum. Non refert, inquit, modò non violem innocentiam, modò non amittam æternitatem beatam. Ita & nos in rebus

a Ein Roß umb ein Pfeiffen.
b *Matth. c. 15. v. 45. & seqq.*

rebus omnibus philoſophemur. Valeant nummi, valeant honores, valeant voluptates, humani valeant favores, vana valeant ſolatia, ipſa valeat valetudo & vita, modò vitam non perdam æternam. Pellem pro pelle. De Orbibus cæleſtibus canit pſaltes: extendens cælum ſicut pellem. Quicquid in hoc Orbe pretioſum videtur aut voluptarium, detracta pecori pellis eſt. Ah, mittamus hanc pellem, pro pelle illâ, quæ cælites tegit. Felix permutatio, quæ lutum commutat auro.

CAPUT XIV.

Deus voluntatis ſuæ executores habet tam bonos quàm impios ſpiritus. Iobi corpus Satanæ committitur affligendum.

HIſtoria tam ſacra quàm profana omni ævo eximios quoſdam homines in exemplum æmulandæ virtutis propoſuit. Homerus regem Agamemnonem producit, ut principem oppidò prudentem, in quo alii, quid ſe deceat, velut in ſpeculo contemplentur. Sic Achillem

ob oculos ponit. Ita Maro Æneam sapientem & pium regem prædicat. Ita suum poëtæ Herculem canunt, ubique invictum, omnibus terrarum monstris imperio novercali obje-ctum, qui labore ac patientiâ domuisset omnia. Ita suum Xenophon Cyrum extollit, in quo reges & monarchæ omnes, heroicæ virtutis specimen spectarent. Sed multa sanè finxerunt hi boni scriptores de iis, quos imitandos in alto statuerunt. Cyrus aliique reges depicti sunt, non quales fuerint, sed quales esse debuerint. Hos igitur pictores hoc loco cum veniâ jubemus plurimum valere. Certiorem hîc condimus historiam, de Jobo scriptam.

Patientia cùm in Orbe hoc humanis in rebus omnibus summè sit necessaria, providentissimus Deus ab omni ævo homines sibi duos elegit, qui humanum genus patientiam docerent, & verbis & exemplis. Primus in lege priscâ Iob fuit. Alter in novâ Dominus Iesus, Dei filius. Hîc videre prorsus est, quantum honoris Deus præstiterit Iobo, quem elegit, ut veluti Collega esset Christi filii:
do

Quem-

Quemadmodum in unâ eâdemque Theologiæ scholâ gemini doctores sunt, quorum ille antemeridianum, iste pomeridianum tempus occupat. Ita Iobus patientiæ professor antemeridianus; pomeridianus Christus Dominus. Eò Thomæ Aquinatis verba sunt capienda:

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam a.

Cæsar Baronius in suo martyrologio die nascentis Christi, sextâ & ultimâ Mundi ætate Dei Filium in præsepi visum affirmat. De Christo patientiæ præceptore aliàs. Nunc de Iobo. Quæ Hussæus iste princeps hactenus est passus, videri jocus & lusus possunt ad ea, quæ sequuntur. Nos hoc capite duo exequemur: Primum, quales Deus suppliciorum habeat executores. Alterum, non uno, sed pluribus morbis conflictatum esse Iobum, & in quo singulariter illius eluxerit patientia.

a *Hymnus ex laudibus in Festo Corporis Christi.*

Quam primum à Curia cælesti editum est decretum, de Jobo variis morbis vexando, Diabolus ipsis velocior Euris, mox invasit Jobum, gravitate valetudinis teterrimâ. Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à plantâ pedis usque ad verticem ejus. [a] Hic ante omnia in hoc theatro providentiam divinam considerate, quos ea Triumviros capitales, quos lictores, quales habeat tortores & carnifices. Ad hoc muneris Cælestes & Avernales, boni & mali Angeli adhibentur, prout Deo visum. Angeli sancti florentissimas quinque civitates Sodomam, Gomorrham, Seboim, Adamam incendiis deleverunt. Assyriorum pænè ducenta millia in Sennacheribi castris occiderunt. Patriarcham Jacob Angelus in femore mutilavit [b] Angelus ævo Davidis septuaginta millia hominum peste jugulavit. Quod Regum Chronicon affirmat: Misit Angelum Dominus in Hierusalem ut percuteret eam. Angeli duo Heliodorum æra-

rio

a *Iob c. 2. v. 7.*
b *Gen. c. 32.*

rio sacro imminentem flagellarunt. a Angelus percussit Herodem, ut inter vermium agmina spirans cadaver interierit. b Alphonsus Tostatus arbitratur, bonum Angelum designari eum, quem litteræ divinæ Angelum Domini appellant. Augustinus de Angelis superioribus, velut de Triumviris capitalibus disserens: sancti angeli, ait, sine irâ puniunt, quos accipiunt, æternâ lege Dei puniẽdos. c

Sed etiam per Angelos malos supplicia Deus irrogat. Sunt enim, quod regius vates testatur, immissiones per Angelos malos. d Paulus eos, qui murmuraverunt, periisse dicit ab exterminatore. e Ita malus spiritus Saul Regem invasit. Malus etiam spiritus Achabum regem decepit. De eisdem Angelis divinæ vindictæ apparitoribus Isaias: Vocavi, ait, fortes meos in ira meâ. Dominus, & vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram. f De seipso Paulus:

a 2. *Mach*: *c*. 3. b *Actor*. *c*. 12.
c *Aug*: *l*. 9. *de civit*. *c*. 5.
d *Ps*: 77. *v*. 49.
e 1. *Cor*: *c*. 10. *v*. 10.
f *Is*: *c*. 13. *v*. 3. *&* 5.

Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, inquit, Angelus Satanę, qui me colaphizet: *a* Auguſtinus putat vehementiſſimum corporis dolorem fuiſſe. Et in hominem impurum atque inceſtificum excandeſcens: Iudicavi, ait, tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis. *b* Quod confirmans Auguſtinus: Dolores autem corporum, inquit, plerunque immittuntur ab Angelis Satanæ. In Iobo res liquida: percuſſit eum Diabolus ulcere peſſimo. Ita bonis & malis Angelis Deus utitur in inferendis ſuppliciis.

Romani veteres ſpectaculis & cōmiſſionibus beſtiarum diverſis plurimum ſunt delectati. Nonnunquam vix dies ſuffecit in hanc voluptatem. Et hinc Amphitheatrum, Cavea, Coliſſæum, re parum diſcrepantia. Capitolinus aſſerit, frequenter die uno centum feras Lybicas, centum leones, centum tigrides, ſubinde urſos mille ſpectaculo productos. Qui commiſſi cum beſtis, dicti ſunt beſtiarii. Chriſtiani ut plurimum ad has pugnas damnati. Eam ob cauſſam Igna-

a 2 *Cor. c.* 12. *v.* 7.
b 1 *Cor. c.* 5. *v.* 3.

Ignatius Antiochenus Antistes aliique innumeri Romam missi, ut bestiis objicerentur. Cùm Christiani defuerunt, gladiatores & capite damnati, ad hanc laniená auctorati sunt. Hęc spectatorum olim voluptas maxima, cùm in hominē emissa est fera.

Hic mundus est instar Caveæ, in quâ Deus suas alit feras, Diabolos & ejus ministros, homines malos. Quod enim Diabolorum machinæ non lędunt, id hominum technæ convellunt. *a* Idcircò non miremur, si subitò immanes in nos feræ provolent: Caveâ conclusi sumus. Hæc cæli sunt spectaculo. Has pugnas arbitrari vel Angelis jucundum est. Ita Diabolus in Iobum velut leo furiosissimus à Deo quintùm emissus, primo quidē impetu asinas & boves abripuit; oves altero; tertio camelos; quarto liberos; hoc quinto valetudinem. Adeste animis, spectabitis micissima.

In fundamenti locum ponimus hęc pauca. Ne suspicemur Iobum ulceribus plenū fuisse, uti nostri solent esse medici, qui pedes aut alias cor-

 poris

a Wo der Teuffel nit hin kan/da schickt er seinen Botten.

poris partes copioso pure tabidas monstrant. Merum pus, ulcus merum Job fuit, morbos ultra vicenos habuit, idque non unâ solum alterâve hebdomade, sed annis pluribus; & ad eam quidem inopiam redactus, adeòque desertus ab omnibus, ut ad fimetum denique non suum, sed urbis, & publicum sit deportatus. Jobum diversis ac pluribus morbis conflictatum testis luculentus Origenes. Nullum reliquit supplicium, ait, neque pœnam, neque dolorem; putredinem, vermes, ossium divisionem, nervorum fatigationem, membrorum debilitationem, atque totius carnalis compaginis passionem atque dolorem (attendite ægroti) jacere non poterat, stare aut sedere non valebat, requiem non habebat, resumptionem non inveniebat. *a*

Nil ultra verum dixit Origenes. At seriò illud expendamus. Percussit Job ulcere pessimo, à plantâ pedis, usque ad verticem ejus. Nihil in eo sani, solâ exceptâ linguâ, quam unam non sine astu Diabolus voluit esse illæsam; Ut haberet Iob, quo

a *Origenes in Iobum.*

quo Deo malediceret. Verũ in caput suum pepercerat. Nam unde blasphemias in Deũ sperabat Alastor, inde in gratiis suis non nisi meras merissimas Numinis laudes coactus est audire.

Deinde Corporis partes in Jobo diversæ, non iisdem cruciabantur morbis, uti sunt carnes, cutis, ossa, nervi, venæ, viscera. Diaboli consilium erat, non cutim tandem radere, sed carnes & ossa ipsa, ipsas etiam ossium medullas immanissimè torquere; ita prorsus, ut omnia corporis membra singularibus morbis, doloribus & cruciatibus affligerentur, idque annis pluribus.

Et perpendatur, obsecro, acerrimus Diaboli furor & invidia crudelissima in Jobum concepta, à quo primis tentationum congressibus tam insigniter victus ac triumphatus est. In mentem veniat ingeniosa tot tyrannorum crudelitas, quæ Christianos membratim & stillatim jussit perire; ita, ut nimium quantum se mori sentirent, & qualia fuere tormenta, lentæ craticulæ, suspensę caveę, scaphismus infandus, *a* quem rectè appelles

a Scaphismum alibi explicamus.

quindecim dierum acerbissimam mortem. sed nihil est hoc ad ingenium & tyrannidem Diaboli, qui ad excogitandos dolores subtilissimæ celeritatis est; cui mille cruciatus in expedito sunt. In Iobo autem cruciando id solum cavere debuit, ne doloribus vitã eriperet, quod illi non erat difficile, cui facile fuit vitales partes in novam identidem lanienã reficere, aut nunquã nimium lædere.

Profectò Iobus ipse dolorum suorum optimus interpres, non unum duntaxat morbum nec dolorem fuisse unum multiplici gemitu explanans: verba mea, inquit, dolore plena sunt. Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. Tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Circumdedit me lanceis suis, Convulneravit lumbos meos; non pepercit, & effudit in terrâ viscera mea. Conscidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum & terrores Domini militant contra me. Quæ est fortitudo mea, ut sustineam?

Facies

Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt. Nunc autem oppressit me doler meus, & in nihilũ redacti sunt omnes artus mei. *a.*

Ademptas ait fortunas omnes, in earum vicem immissos sibi dolores gravissimos, ossa sua velut in torculari compressa. Sicut autem erinaceus plenus ac horrens aculeis, ita Iob sagittis à Domino in eum, velut in scopum emissis. Erasmo martyri Christiano intestina è ventre velut fila girgillo convoluta. Neque hoc tormenti genus ad Iobi laniená desiderari potuisse, argumento sunt verba illa: effudit in terrâ viscera. Diversis, iisq; summis doloribus Iob afflictatus dixit: Conscidit me vulnere super vulnus. Hinc nihil fuisset, miri si oculos efflesset, & dolore cõtabuisset.

In tantis certè cruciatibus vix alteri sermoni, vix voculæ ulli alii efferendæ fuit locus, quàm isti: Patientia, Patientia, Patientia. Quæ in Iobo prorsus summa fuit. Quàm verum hìc illud priscum.

Animus bonus malâ in re dimidium mali est.

Quàm

a Iob c. 6. & c. 16. diversis. vers.

Quàm verum & Salomonis illud Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam. a Bonæ mentis & duratæ patientiæ homo imbecillitatem corporis, robore Spiritûs & animi vigore fulcit. Fulcimenta Iobi & Fomenta fuerunt iſta: Dominus hos morbos dedit, Dominus hos morbos auferet, ſed ſuo tempore. Sicut ille omnium optimè novit tempus ad inferendos morbos, ita ille ipſe quoque ſcit tempus ad eoſdem auferendos. Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum. Deo divinæquè providentiæ adſcribit omnia; non Diabolis, non hominibus flagitioſis. Nimirum ſumma papaverum capita decuſſa, non Tarquinii baculo, ſed ipſi ſunt Tarquinio tribuenda. Sit ergo nomen Domini benedictum tam inter triſtia quàm læta, tam inter adverſa quàm proſpera, tam inter delitias quàm ærumnas, inter roſas & ſpinas, inter divitias & egeſtatem, inter morbos & ſanitatem; Sit nomen Domini benedictum, & tantò magis benedictum, quo graviores

a *Prov. c.* 18. *v.* 14.

viores dolores, sed simul etiam ampliores patiendi ac promerendi suppeditat occasiones. Hac nihil in orbe lucrosius patientiâ.

CAPUT XV.

Morborum syllabus, acrimonia, & diuturnitas describitur.

MIraculum narrat Plinius, quod inter plurimos suis ipse oculis spectavit. Athenatus, inquit, quingenario thorace plumbeo decem ad minimum indutus, cothurnisque quingentorum pondo calceatus per scenam ingrediebatur. *a* Vir iste sex plumbi centumpondia & dimidium habuit indutui, & nihilominus commodè sicut actores alii obambulabat theatrum. Prodigium hominis robusti!

Hussæus rex Iobus eos morbos & eâ etiam patientiâ toleravit, ut centena plumbi cētumpondia ipse unus suo corpore tulisse dici possit: nam capite priori tam ex Origene, quàm è ratione monstravimus, Iobum pluribus ac diversis morbis jactatum.

Nunc

a Plin. l. 7. Nat. hist. c. 20.

Nunc illos porrò incipiemus numerare, & suum cuique nomen tribuere; unà etiam explicare, quam acerbi & vehementes fuerint hi morbi, quanto tempore durarint.

Ut multiplices morbos & dolores suos Iobus explicaret: *a* Circumdedit me lanceis suis, inquit, Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt. Nulla quies nec interdiu nec noctu, ipsa ossa terebrant dolores maximi. Hoc nemini videatur mirum: potest in humano corpore tantæ acritudinis humor aut pus reperiri, quod per ossa ad ipsas penetret medullas. Et qui comedunt, ait, non dormiunt: In multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Vermes, qui artus meos discerpunt & commolunt, eo numero in me grassantur, ut cũ corpus meum pascendis illis non sufficiat, in vestes meas convertant famem, easq; perrodendo consumant. Pelli meę cõsumptis carnibus adhęsit os meum. *b* Vix ossibus hęreo, quę malè tegũtur undiq; perforatâ cuti.

Ita

a *Iob c.* 16. *v.*14. & *c.*30. *v.*17.
b *Iob* 19. *v.* 20.

Ita summi atque continui dolores per diem perque noctem exercuerunt Iobum, cujus morbi non solùm immedicabiles, sed & letales; quos tamen Diabolus ita temperare poterat, ne enecarent. Incipio morbos summatim enumerare.

Primus, Phagedæna, ulcus malignum, tetrum, verminosum quod toto serpebat corpore, artus miserè depascens & urens, & ipsas peredens carnes: hîc tumoris, puris, fœtoris plurimum. Percussus est Iob vulcere pessimo.

Alter, Sacer ignis, Erysipelas a. Hæc flamma pedes plerunque ligat, & invisum illis creat otium. Magni hîc dolores, sed non letiferi.

Tertius, Cancer, cui vires ab atrâ bile subministrantur, ejusque proprium est serpere, & post affectas partes, sanas etiam corripere, & corpus totum puri ac tumori objicere.

Quartus, frequens animi Deliquium, ut subinde jam jam crederetur expiraturus. Hinc illæ Iobi voces: Solum mihi superest sepul-

a Glockfeuer/ S. Antoni Feuer.

pulchrum & sepelite me, sat mortuus sum.

Quintus, Lepra seu elephantiasis fœdissima, quæ cutem reddit atram. Job ipse asserit: Cutis mea denigrata est super me. *b* Hæc lepra ad ipsa descendit ossa, plumbeum facit sanguinem, animam fœtentem, mœrores, somnia terrifica, & angores parit. Talem fuisse Constantini imperatoris censet Baronius. Hac Deus superbos quandoque reges castigat; *c* hac Diabolus reges etiam sanctos exercere ausus est.

Sextus, Podagra infestissima, quæ acutissimos dolores infert pedibus, quos vincit affigitque pulvinari aut lecto. Fatetur Job: posuisti in nervo pedem meum. *d*

Septimus, Chiragra, quæ manuum usum sic adimit, ut ægrotantis ori cibus sit velut implumi aviculæ ab altero ingerendus. Magna miseria, præter magnos dolores.

Octavus, Arthritis, seu, morbus articularis, qui dolores horribiles in omnibus membris concitat. Hinc illa

a *Iob.c.17.v.1.* b *Ib.c.30.v.30.*
c *2.Par:26.19.* d *Ib.c.13.v.27.*

illa Jobi querimonia: In nihilum redacti sunt omnes artus mei. *a*

Nonus, Vermes, Corpus Jobi putridum ebulliisse vermibus, testantur prisci Patres, Basilius, Origenes, Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, Olympiodorus, alii, qui eò explicant illa: Putredini dixi, Pater meus es tu, & soror mea vermibus. Septuaginta interpretes Jobi conjugem sic faciunt loquentem: Tu in putredine vermium sedes. Nec ipse Jobus id negans: Et qui me comedunt, inquit, non dormiunt. Tertullianus encomiastes patientiæ: Dissecabatur Diabolus, ait, cum erumpentes Job bestiolas, in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret: Perinde si diceret: Hic, ô mei vermiculi, manete in meo corpore; in hæc pascua nati estis. Credibile, Jobum intus & foris vermibus fuisse plenissimum, ut esse solet caseus putridus, qui vermiculorum exercitu scaturit. Ideò Chrysostomus hunc nonum morbum, fontes vermium appellat. Origenes Jobi interpres, arbitratur hos tot vermes

a *Iob. c. 16. v. 8.*

fuiſſe dæmones, qui Iobum miris & infandis modis cruciaverint. Hinc etiam illa Iobi lamenta: Reverſuſque mirabiliter me crucias. *a*

Decimus, Ulcera, non tantum pedibus, manibus, præcordiis impreſſa, ſed etiam naribus, auribus ori & gingivæ innata. Hinc illa Iobi, deploratio: In amaritudinibus moratur oculus meus. *b* Omnia tumida, purulenta, tabida: ubique dolor & tormentum.

Undecimus, vehemens capitis dolor qui neceſſariò conſecutus è tot fætoribus & interiore humorum, præcipuè atræ bilis incendio. Vix dubium quin dentium dolores maximi, ad uſque inſaniam ſævientes acceſſerint. Nec dubium, quin omnes interiores corporis partes, ſtomachus, lien, renes, hepar, & pulmones horribiliter corruptæ, ulceroſæ, inflatæ obſtructæ. A plantâ pedis uſque ad verticem ejus, non erat in eo ſanitas. Nulla pars, cui non ſingularis & morbus & dolor fuerit. Hinc illæ Iobi flebiles voces: Non concedit requieſcere ſpiritum

a *Ibid. c. 10. v. 16.* b *Ib. c. 17. v. 2.*

ritum meum, & implet me amaritudinibus. a

Duodecimus, cordis palpitatio, singultus, tremor; quod omne spectabat eò, ut tantò citius ac facilius ad impatientiam permoveretur, quantò cor arctiùs diversis vallaretur angustiis. Alios duodecim morbos sequenti capite subjungemus.

Hîc quædam attentiùs perpendenda sunt ad firmandam languentem patientiam.

Primum: Non Busiris aliquis, non Nero, non Phalaris, non Diocletianus, sed ipse Diabolus flagellum, quo cæsus Job, suis viribus vibravit. Deus illi potestatem omnem concessit, flagellandi Jobum, & lacerandi ut vellet, modò vitæ parceret; quam nec cacodæmon quidem eripere voluit, ut esset, unde diutissimè torqueret. Enimverò quod mille homines nunquam excogitaverint, hoc Diabolo & inventu & factu facillimum. Hinc morbi à dæmonibus immissi, supra quam dici potest horribiles. Ioannes Langius Lembergius Palatinus medicus eruditè cōplura scripsit.

 Inter

a *Ibid. c. 9. v. 10.*

Inter hæc miſcellas de arte medicâ epiſtolas edidit, in harum trigeſſimâ octavâ hæc narrat: Anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo, homo agricola, qui nomen habuit Udalricus, in agro Eyſtadiano, dolores paſſus eſt infandos, & nulli medicorum ſatis cognitos. Ita obiit. Secto mortui ventriculo repertum teres oblongius lignum, quatuor è chalybe cultri, & plura ejuſcemodi ferramenta majore palmo longiora. Sat hîc teſtium fide dignorum, qui hæc ſuiſmet oculis ſpectarunt. Conrad. Lycoſthenes eum Udalricum Neuſeſſer indigitat, Anno 1539. in prodigiis. Et quî demum potuit Diabolus tam multum ligni, chalybis & ferri in ſtomachum hominis trajicere? in quem utique non pleno jure habuit agere, quemadmodum in Iobū. Hinc facile eſt conjectare, quàm atroci & prorſus inexplicabili crudelitate Iobus à Diabolo ſit excarnificatus, in quem ſæviendi licentiam à Deo pleniſſimam accepit.

Secundum. Hinc ergo Chryſoſtomus cenſet, nullum unquam mortalium tot, tam diſtinctos, tam diu-

turnos

turnos dolores perpessum atque Jobum. Propterea quando nos vel facultatum, vel honoris ac dignitatum vel valetudinis jacturam facimus, aut aliud quodcunque damnum malùmve patimur, nobis ipsi fidentissimè dicamus: En istud omne quod pateris, non vicesima, non sexagesima, non certè centesima pars est calamitatum illarum, quas Job passus est; ille tamen in ærumnis maximis undequaque afflictissimus, ille tamen cantare potuit: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Has ille voces mittebat, hos ille cantus edebat in publico fimeto considens, tam à suis quam ab omnibus desertissimus. Audiamus obsecro, quas tu voces mittis, quos cantus edis? Age sis ergo, loquere, eja cane. O quam tu multò aliter quam Iobus & loqueris, & canis! Ille cum Angelis Deo laudes cantabat, tu cum canibus latras, aut cum lupis ululas, aut cum Diabolis blasphemas. Os tuum querimoniis & vocibus maledicis plenissimum. O Cantum inconcinnum & inconditũ!

O patientia, quàm necessaria, quam cara, sed quam rara es herba!

Tertium, Jobi dolores ac cruciatus tam multiplices ac tanti, ut illius gemitus ac ploratus, malum quod patiebatur, exæquare neutiquam potuerint. Infanda Iobus tolerans: Utinam, inquit, appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret: Unde & verba mea dolore sunt plena. Utinam gemitus mei doloresque interni & ægrimoniæ, quæ vos, amici mei, peccata interpretamini, cum corporis doloribus conferrentur, quantum hi universos illos excederent, clarissimè perspiceretis. Confixus sum undique sagittis, velut erinaceus aculeis; Deus in configendo me complures pharetras exhausit. Ita dolor meus longè major est, quàm planctus meus. Ab impatientiâ nostrâ plerumque fit contrarium: majores sunt questus ac fletus nostri, quàm dolores nostri, longè minora sunt mala nostra quàm lamenta nostra.

Quartum, Iobi calamitates inauditæ, non solùm diebus septem, nec

septem

septem solùm hebdomadibus aut mensibus, sed ipsis septem annis duraverunt. Ita Suidas & alii. Ejusdem sententiæ Olympiodorus in catenâ: Videtur, inquit, Magnus Iobus ipsos septem annos plagæ acerbitatem tulisse. In plerisque omnibus religiosis familiis unus est annus tirocinii, *a* in quibusdam biennium est: Septennium, ah mi Deus, quàm longum est experimentum! in tantâ præsertim egestate, in doloribus summis, in ipsis pænè inferis. Job tamen non sæviit, non tonuit, non maledixi: Ex impatientiâ, neminem diris devovit, non cælites, non Deum non divinam providentiam accusavit. Sed Deum auctorem horum, & adjutorem in his omnibus patientissimus & constantissimus respexit.

M. Attilius Regulus à Pœnis bello captus, fide utrimque datâ, reversus est Romam, quasi captivorum commutationem promoturus, quam tamen penitus dissuasit. Quia verò fidem suam obstrinxerat se rediturum, hosti se denuo stitit. Qui eò processit inclementiæ cum illo,

a Probier Jahr.

ut Regulum, ducem nobilissimum, in dolium clavis undique introrsus adactis armatum concluserit, conclusumque de monte præcipitarit. Non majorem Regulus in suo ad hostem reditu fidem præstitit, quàm in perferendo supplicio patientiam exhibuit & constantiam. Unde triplex hodie laus memoriam hominis comitatur; justitiæ una, altera fortitudinis, tertia patientiæ admirandæ. Sed vale, mi Regule, exemplis grandioribus triumphat Jobus noster. Qui dolio tot ærumnarum clausus velut Pandoræ pyxide inter innumera vulnera tam animi quàm fortunarum & corporis, ex alto felicitatis, in imum calamitatis extremæ devolutus est. Ipsius hic clamor est: sic repentè præcipitas me *a*.

Timotheus & Maura Christiani conjuges in Ægypto ab Ariano præfecto in crucem acti, novem dies vixerunt in funesta trabe divinum Numen assiduè collaudantes. Nullis, quod sciam, diuturnius crux hospitium dedit. At Iobus multò diriora passus, non horis tantùm paucu-

culis

a *Iob c.* 10. *v.* 8.

culis stetit ejus calamitas; septem vidit æstates, septem hiemes, totos septem annos in eâ, quam ipsi Diabolus fabricaverat, cruce pependit: verè vir dolorum! & tamen suas Numini laudes non subtraxit. Discamus in hoc divinæ providentiæ theatro fortiter pati & constanter. Omnem dolorem mitigat patientia. Cum Jobo pro se quisque dicat: Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis: Ad Deum stillat oculus meus.

CAPUT XVI.

Altera morborum dodecas, quibus Iob exercitatus est.

MIlo Crotoniates, athleta summi roboris, discum latiorem ferreum inungi jussit oleo, hunc cùm ipse insisteret, à nullo hominum statu moveri, aut è disco detrudi poterat; tam immotus, tamque invictus stetit etiam in lubrico ac si fixus esset. Hic idem Milo quandoque pomum punicum manu prehendit, digitis ita compressis, ut mortalium nemo digitum laxare, mul-

a *Iob. c.* 16. *v.* 10. *&* 11.

tò minus pomum extorquere posset.

Hussæus Rex Jobus in orbe sanè lubrico stabat. Maganimum hunc statorem Diabolus collatis viribus amovere aut dejicere conabatur: at frustrà fuit. Undique calamitates trahebant pertinacissimè; abstraxit à Deo nulla. Corpus Iobi plenum pure, ulceribus, tabe, doloribus, cor mœroribus & angoribus gravissimis pænè exhaustum; stetit nihilominus etiam in lubrico Jobus, & quidem adeò firmus, ut si omnes ex Orco diaboli traxissent, eum tamen à ceptâ patientiâ, & à bono Deo abstrahere non potuissent Job manu prehendit admirabile pomum divinæ providentiæ, omnia in orbe hoc præclarissimè constituentis. Hoc punicum pomum eâ vi tenuit, ud id ei nullus hominum, diabolorum nullus, nullus Angelorum; sed nec ullus morbus, dolor nullus, tormentum nullum, nulla calamitas extorquere potuerit. Super hæc enim omnia permanebat Job in innocentiâ suâ.

Superiori capite duodecim Iobi morbos oratione strictâ exposuimus. Hoc alios duodecim adjungemus, & unà

& unà triplex patientiæ ſuggeremus documentum.

Jobus doloribus exhauſtus, & jam prope vivum ac ſpirans cadaver: Nunc autem, inquit, in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis. Redactus ſum in nihilum. Tam tenuis eſt vita mea, ut unico flatu velut folium chartaceum difflari poſſet. Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum favillæ & cineri. *a* Corpus meum, pus merum, ulcus meriſſimum, ferâ ſcabie tanquam ſquamis obductum horridâ macie, tanquam laterna punica jam exhauſtum, ſolam exſpectat ſandapilam. Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me validè. *b*

Iob verè crucifixus, attamen in tantis tormentis providentiam divinam &Deum ſupplicii tam multiplicis auctorem ſuaviter agnoſcit. Unicè illum ſolatur, ſcientia non fallax: Hæc Deus fecit omnia, manus divina me percuſſit: quid autem conqueri poſſum. Figuli rude vaſculum ſum, figulus ut vult, aut tollit illud, aut

a *Iob c.30. v.15. & 16. & 19.*
b *Iob 30. v. 22.*

aut abjicit. Hi dolores & morbi omnes à Deo. Hæc ſcire, ſummum Jobi ſolatium.

Nos igitur tanti principis morbos numerare pergamus. Primus in ordine ſecundo Jobi morbus eſt, putredo viſcerum. *a* Galenus explicat, *b* quâ ratione in ipſis inteſtinis, ubi ſenſus ac dolor eſt acutiſſimus, innaſcantur ulcera. Objiciat hîc aliquis: Quî tandem potuit Jobus tot, tamque gravibus morbis non extingui? Diabolus pharmacopæus artificioſiſſimus, & tortor vaſerrimus, hos morbos gradatim & per intervalla, non unà omnes intulit, ne necaret, quem ad novas identidem pœnas diu cupiebat vivere; & ut tantò citius deſperaret ſic afflictus, quantò tardius finem expectaret.

Secundus, Nephritis *c* & exulceratio renum, ſummus & implacabilis dolor. Quod ipſi Jobo credemus affirmanti: Convulneravit lumbos meos. *d* Confertur hic dolor cum ima-

ma-

a Darmfeule.
b *Gal. l. 5. de uſu partium.*
c Nierenweh/Nieren Geſchwer.
d *Iob. c. 16.*

manifeſſimo, quo quis diſcerpitur infixus palo.

Tertius, Halitus fœtens, ſanioſum ſputum. Quod Jobus ſingulariter deplorans: Halitum, inquit, meum exhorruit uxor mea. *a* Nec mirum, toto corpore in tabem ac putredinem eunte, animam fœtentem & tetrum fuiſſe anhelitum. Unde etiam cruenta & purulenta ſputa. Nec dimittis me, inquit, ut glutiam ſalivam meam. *b* Non tantum illi concedebatur quietis, ut reſpirare poſſet aut expuere.

Quartus, Pleuritis. *c* Nec iſte morbus miri quidquam habuit: nam ubi puris tam multum, ubi tot abſceſſus, proxima ferè pleuritis. Non malè priſci hunc morbum Telum nominarunt, quòd ſubitô dolore latus inſtar gladii tranſverberet, vel identidem lancinet ægrotum.

Quintus, Aſthma ſeu reſpirandi difficultas, quæ pleuritidis plerumque comes eſt. Neque hîc quidquam miri; claudit animam purulentia tam exuberans; impediunt anhe-

a *Iob c. 19. v. 17.* b *Ib. c. 7. v. 19.*
c Seitenweh/ Stechen.

anhelitũ & interficiunt tot vomicæ.

Sextus, Angina & Phlégmone. *a* qui affectus collum, palatum, colli glandulas tumore, phlegmate, ardore incendunt, exasperant, corrumpunt, ut nullus cibus glutiri queat, vix jusculum sorberi, adeò, ut ovum sorbile aut sorbitiuncula sine magnis doloribus transmitti non possit. Ita Diabolus in toto Iobi corpore, nihil reliquit à doloribus intactum, à plantâ pedis usque ad verticem ejus.

Septimus, Profluvium alui, quando enim folliculus fellis exundat non raro in omne corpus effunditur, hinc dysenteria & varia lues. Alui fluxionibus Iob æger dixit: Effudit in terrâ viscera mea. *b* Id enim hic morbus habet; Ipsa etiam intestina videntur fuso ventre dejici. Quod Arrio tulit interitum.

Octavus, Bulimia seu appetentia canina, quæ, quòd aliàs cibum semper expetit, sumptum revomit. Horrendam Jobi famem nemo miratur, qui non multitudinem solum, sed & varietatem morborum cogitat. Cùm enim

a Mundfäule und Halsgeschwer.
b *Iob. c. 16. v. 14.*

enim propter obstructos meatus & exulcerationem palati & colli vix quidquam sorbilis alimoniæ potuerit admittere, fames secuta, sed fame multò crudelior sitis, quam in eo maximam & ardentissimam fuisse facile credimus, ob tantam alui effusionem: sitis autem ægrotorum quàm grande tormentum! Testatus hoc ipse Iobus: Ossa mea, inquit, arverunt præ caumate. *a* In corpore tam turbato & malè affecto pęnè ardebant omnia, quod appellat cauma.

Nonus, Marasmus & Marcor, seu corruptio totius corporis ex inediâ & siccitate orta. Nimium quantum id Jobus sentiens: Nunc autem, inquit, in memetipso marcescit anima mea. Membra mea in nihilum redacta sunt. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos. *b*

Decimus, Febris hectiba, continuata, comes Marasmi. Ah quam miserum est in summis aliorum morborum cruciatibus, insuper etiam continuis febriculosi morbi accessionibus

a *Ib.c.30.v.30.* b *Ib.c.19.v.20.*

onibus jactari, & anhelis febrium flammis uri. Hoc prórsus est vulnere super vulnus conscindi.

Undecimus, Insomnia; Vix quidquam boni soporis cepit. Nam ubi fatigatione nimiâ pressus nictare incępit & obdormire, mox somnia terrifica & dolores nunquam intermittentes denuò excitarunt. Hoc ipse Iobus affirmatissimè: Noctes, inquit, laboriosas enumeravi mihi. aSi dixero; Consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in strato meo, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum, noctem verterunt in diem. Poterat Iob velut excubitor in turri singulas noctis, & horas, & horæ partes numerare. Nulla unquam quies à doloribus interdiu noctuq;. Et tamen plenus fiduciâ canit: Et rursũ post tenebras spero lucẽ.

Duodecimus, Mæstitia & atra bilis pæne ad insaniam excrucians. Iobum jam loquentẽ audivimus: Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum. Hoc pænè omnia tor-

a *Ib. c. 7. v. 3. Ib. v. 13. & c. 17. 12.*

tormentorum genera superavit, doloribus urgeri tantis, interim tamen nullis refici solatiis, nec ullâ vel lætiori saltem cogitatione mulceri. Rectè dixerimus: Iob apud inferos fuit antequam vivere desiit.

In Gymnasio patientiæ inter decemplices cruces posuimus SACCUM. In *Sacco* cruciari, est undique & undique mæroribus & doloribus urgeri, perinde si quis dolio pleno clavis introrsum adactis clausus præcipitetur è monte; quod M. Attilio Regulo paulò ante diximus evenisse. *Sacco* clauditur quem simul egestas, & morbi, & ludibria, & omnis generis afflictiones torquent. Si ullus unquam mortalium, certè Iobus horribili *Sacco*, imò carcere inferno clausus est. Verum Dominus deducit ad inferos & reducit. *a* Modò fiducia in Deum tantò sit erectior, quantò saccus arctior, quò enim minus est humanæ opis, tantò plus divinæ sperandum. Solatiis largiter stillat cælum in hominem probum, cui nihil est solatii à terrâ. Cùm igitur omnia videtur desperatissima, tunc maximè

a Tob. c. 13. v. 2.

cor humanum ſeſe ad Deum erigat, ſubſidii aut ſolatii divini certiſſimum. Qui deducit ad inferos Dominus, idem & reducit. His jactis fundamentis tria hîc conſideranda.

Primum: Iobus diſcipulos ſanè dociles, etſi paucos omni ævo habuit, qui patientiam condiſcerent. Inter hos nobilis Saxo, Ludolphus calidi vir ingenii & vehementis, concitatiquè. Pedes iter fecerat aliquamdiu animi causâ, recenti oſtro veſtitus. Hunc ruſticus concitatiore curſu ita eſt prætervectus, ut luti aliquid aſperſerit rota. Nobilis eques mox ſtricto gladio in hominem paganum involavit, & pedem ejus ſic læſit, ut fuerit amputandus. Impune fuit facinus, nec ulla damni facta reſtitutio. Atqui Ludolphus non ex aſſe improbus, contractis noxis adeò ingemuit, ut religioſæ Ciſtertienſium familiæ ſe addixerit, vitam deinceps ſanctiorem acturus. Non diu poſt ægrotare cæpit, & unâ in ſeipſum magis magiſque deſcendere: hîc injuria ruſtico illata in ægrotantis animo recrudeſcere, gemitus extrudere, lacrimas ciere, gravem inurere facti dolorem.

lorem. Solabatur hominem nosócomus. a Cui æger: Si partem aliquam de Iobi ulceribus, inquit, in meo corpore ſentirem, eſſet ea res mihi ſolatio magis quam ſupplicio. Vox omen habuit. Poſt dies non multos in decumbentis pede, propius talum, ruſſatus obſervatur circulus, eo fere loco quo ruſtici pedem læſerat. Nec vanum hic rubor ſignum fuit. Pes ſenſim putreſcere & ſcaturire vermibus cœpit. Hic æger multò quam ante animatior: Jam, inquit, ſperò veniam, Jobi colore veſtior. Hic omnes vitæ licentius actæ maculas, injuriam præſertim inſonti ruſtico illatam altâ mente meminiſſe, & pœnitentiam facti, & de morbo gratias Deo agere, pedem verminoſum favorem interpretari, & vitam ſanctè claudere.

En ſupra modum docilem Jobi diſcipulum! O Chriſtiani, ſi quæ particula de inſignibus, & colore Jobi nobis mittatur dono, gratiam interpretemur, & agamus Deo gratias; ſi quæ pars, inquam, rerum adverſarum nos tangat, ſimus diſcipuli dociles Jobi, & quantum in perdiſcendâ

a Krandenwarter.

patientiâ promoverimus, patiendo monstremus.

Alterum: Quàm verum est illud Chrysostomi: Nemo læditur nisi à se ipso. Verum planè, verissimum. Et en Diabolus, omnes vires suas huc intendit, omnem potentiam suam adversus Iob exeruit, omne ingenium suum, omnem tyrannidem suam in excruciando Iob consumpsit, insuper ignes & ventos, & omnia elementa; diversos hostes, Chaldæos & Sabæos, Iobi etiam cognatos, ipsam Iobi conjugẽ in subsidium advocavit. Et quid moliebatur cacodæmon? Hoc solum, ut virum unicum concitaret ad impatientiam. Et tamen tanto molimine, tot machinis tantâque vi non potuit vel unum hunc hominem eò adducere, ut seipsum læderet vel maledicto unico, aut ullâ imprecatione malâ, vel unico impatienti verbulo. Ita è septennali hoc inferno non ustulatus, integer, illæsus evasit. Iobus tantum potuit patientiâ. Iobus flammarũ medius perstitit intactus, inter tot ignes non arsit, & à tot Diabolorũ phalangibus lædi non potuit, quia seipsum lædere noluit.

Verè,

Verè, nemo læditur nisi à seipso. Vanissimæ sunt querelæ illæ: iste me læsit, hic tantum mihi nocuit, iste hoc illudve mihi damnum inflixit: Falsæ, fatuæ sunt hæ querelæ; Nemo læditur, nemo, nisi à seipso.

Tertium: Non est luculentius signum quo probitas discernatur ab improbitate, quàm constans & longanimis patientia. Hoc indicium evidenter monstrat, quis probus, quis improbus, quis aureus, quis luteus sit. Aurum in flammis sudat & mollescit innoxium: lutum induratur, & denique in pulverem vagum deffluit. Quod Siracides clarè affirmans: Quoniam, inquit, in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. *a* In adversis rebus pulcherrimè apparet quis ligneus, qui luteus, qui stramineus, quis impatiens & improbus; ita etiam quis aureus, quis gemmeus; aurum patientiæ, gemmas sanctitatis non violat ignis sed purgat; stramen nequitię, lutum impatientię ab igne calamitatis ustulantur & consumuntur. In adversis mens bona noscitur.

a *Eccl*: c. 2. v. 5.

Fit nonnunquam, ut quis ad aquæ marginem consistat, lapidem in aquas animi gratiâ mittat: pisces in imum se recipiunt, aves vicinæ avolant. Deus è cælo lapides jacit in hoc mare; probi homines sursum avolant, Deum cladium auctorem agnoscunt, divinam providentiam laudant, patri se castiganti gratias agunt, plus pœnarum expetunt: At verò improbi ut pisces deorsum in altum pusillanimitatis, subinde desperationis gurgitem ruentes; impatientissimi maledicunt, consternantur, animum abjiciunt, malè imprecantur. En mores diversissimos quos aperit ærumna! Iob evolavit sursum: Sequamur: Hac itur ad sidera. Profectò patientiæ virtus nunquam est in prosperis. Nam sicut in arenâ non discimus natare, sed in aquâ, ita in rebus secundis patientiæ virtutem nunquam obtinemus, sed in adversis. In omnibus quæ patimur, non agnoscamus tantùm divinam providentiam, sed & laudemus, & gratias ei agamus. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. *a*

a *Nahum* c. 1. v. 7.

CAPUT XVII.

Quomodo Iobus tandem à Palatio ad Fimetum usque devenerit.

PEripateticus Philosophus Aristo dictitabat: Sit hominum aliquis tam felix, atque ullus esse potest, sit opulentus, sit formosus, sit sanus & robustus, sit [illegible] honoratus; si animus ipsius è sui imprudens, ineruditus, fa[illegible]etum in [illegible]d est, quàm si ægrotum gr[illegible] longis doloribus oppressum, in lectica colloces eburnea, tegumentum sit bombycinum mustelis Scythicis fultum, conopæum sit sericum opere phrygio elaboratum. Ah quam tenuè solatium est ægro, nec enim mitigatior sit inde dolor, nec morbus citiùs abscedet. Ponite hunc talem inlecto aureo, non minus ægrotabit. Argentea vel aurea vel etiam gemmea lectica morbum & dolores non demulcet.

In Iobo virorum patientissimo planè contrarium est videre. Omnes ei facultates, salus & felicitas omnis, ipsa etiam valetudo adempta: ulceribus & doloribus plenus lentissimam præstolatur mortem,

extremis vita labris inſidere creditur: Animus tamen ſanus, incolumis & ad Deum erectus, negat ſe quidquam perdidiſſe cùm Deum retineat. Verè dici potuit, Animus Iobi optimus, peſſimè habitat. Job etiamnum perſpicax, fortis, magnanimus, ſapiens, invictus, ſed [illegible] vicem habuit tam miſerum [illegible] habere poſſit menditorum [illegible] exp[illegible]. Anteà opulentus [illegible] Huſſæus, lecticas ſibi ſuiſque [illegible] poterat argenteas; At eò jam [illegible]geſtatis devolutus eſt, ut nec quidem ligneam habere poſſit. Fimetum ei lectica, & ſolium, & menſa, & lectus & omnia eſt; pro conopæo ſunt venti, pluviæ, tempeſtates & injuriæ cæli diverſæ. Quàm verum etiam hìc illud.

Non jacet in molli veneranda ſcientiâ lecto.

Iob hactenus tantùm artis & ſcientiæ in exercendâ patientiâ monſtravit, tam artificiosè & æquanimiter calamitates ſummas toleravit, ut dici poſſit, digniſſimus eſt Job qui argenteâ vel etiam aureâ lecticâ reponatur, & ad quem velut ad patien-

tiæ

tiæ professorem omnes homines, orbis universus revisat.

Sed divinæ providentiæ longè aliter visum. Nondum omnes tragœdiæ hujus scenæ sunt finitæ. Acerbiora restant. Ad sterquilinium extra urbem ejiciendus est Jobus, tanquã cadaver intolerabile. Hic explicabimus quomodo tandem, hic tantus princeps, è suis ædibus emigraverit ad fimetum; quomodo saniem testâ raserit & longanimem nihilominus retinuerit æquanimitatem.

Post eversas omnes fortunas Jobus, sacrâ testante historiâ, radebat saniem testâ, sedens in sterquilinio. Quæras hîc, Lector, quî tandem fieri potuerit, ut princeps tantus in extremâ invaletudine ejiceretur velut mortua gallina in fimetum? Nam etsi Iob pecus omne amiserit, adhuc tamen domum, supellectilem, pecuniam, vestes, prædia & agros retinuit, quomodo ad hanc inopiam & mendicitatem potuit detrudi, ut vix fimum pro domo & lecto impetrarit? Aures & animum, mi Lector, adverterem paucis edisseram.

Hanc methodũ cum Iobo Diabolus

lus ſervavit. Medici alia ſuper alia ingeſſerunt pharmaca, & omnem penè artem ſuam in unico homine conſumpſerunt; nihil certè reliquerunt intentatum: at fruſtra omnia; nam camino ardenti pix videbantur, quod uno declinante morbo continuo cœpit alius, omni pharmacorum vi eluſâ. Siquidem Diabolo permiſſum eſt ſeptennium, quo morbos ita variavit, ut modò his modò aliis Iobum excruciaret. Unde paullatim tam crebro pharmacorum uſu, tot medicis tanto tempore adhibitis, pecunia quantumvis copioſa, omnis dilapſa, & numus ſuſpiravit in fundo; pecore omni abacto, modici cenſus ad ſuum dominum redibant. Servi etiam & ancillæ, ſicut & ipſi cognati, rem ſuam faciebant, & hinc illinc carptim furabantur, prout ſit, cùm oculus ſopitus, ad tuendam rem familiarem nequit amplius vigilare. Et ſicut malum eſt vinum quod de fundo bibitur, ita fortuna ſpernitur quæ exitium minatur. Ita Iob ſenſim depauperatus eò devenit, ut ærarium omne conſumpſerit: Ita ſeptem abierunt anni. Interim morbi ac dolo-

dolores incrementis maximis sævierunt, erumpentium agmina vermium creverunt, hinc fætor tam intolerabilis emersit, ut nullus famulorum, ancillarum nulla sed nec uxor, neque ullus hominum ad cadaver tam graveolens paulô diutius potuerit consistere: omnia conclavia fætoribus infecta, ut etiam illi, quod verosimillimum est, qui ægroto hactenus servierunt, sensim morbis occæperint tentari. Hinc diffugêre omnes. Quod Iobus gravissimè sentiens: Fratres meos, inquit, longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti sunt mei. Inquilini domûs meæ, & ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi, & non respondit; ore proprio deprecabar illum. *a* Ita desertissimus ab omnibus & ab ipsis pæne suis ædibus exclusus habitationē sub dio cogebatur quęrere. Probabilissimum libitinarios & vespillones huc suam operam addixisse, & Iobum, ipso non relu-

a *Iob c. 19. v. 13. & seqq.*

reluctante, è suâ domo vivum funus extulisse in fimetum publicum; nam lege & more recepto, ut leprosus, urbe pellendus fuit. Itaque tanquam cadaver, imo ut canis mortuus è domo elatus, & positus in fimeto non suo; Perinde, si dicerent domestici: Non possumus aliter, nec enim hîc quidquam auxilii amplius aut consilii est: nemo nostrûm juvare potest. Ponatur ergo in publico, ut si quis possit, ipsius misereri velit. Ut autem corpus ulcerosum molliùs aliquantò sedeat, omnium commodiissimè collocabitur in fimo. Hic igitur Iobus extra urbem in sterquilinio, sub Iove frigido dies noctesque habitavit. Et hæc sub finem anni septimi contigerunt, qui calamitosorū annorum ultimus fuisse creditur.

Quam autem vere hîc Iobus dixerit: Tanquam prodigium factus sum multis. *a* Hæc enim Iobi extrema calamitas non tantùm per totam ejus provinciam, sed longè lateque per omnem viciniam rumore propagata est. Hinc ejus cognati, tres reges, qui antè per legatos eum solati sunt, jam

a *Ps.* 70. *v.* 7.

jam ipſi venerunt prodigium hoc grande viſuri. Et reverâ ſi quis deſideret videre, quod in omnem ſibi vitam credat profuturum, ſpectare Iobum in ſterquilinio, Chriſtum in patibulo contendat. Huc domeſticum ſuum pictorem, imaginationem ſuam quiſque noſtrum frequenter amandet, ut geminum hoc miraculū, Chriſtum & Iobum quàm vivaciſſimè depingat. Imaginatio, domeſticus hic pictor noſter ſæpiſſime impuras, fœdas, laſcivas oppidò pingit imagines, quæ conſcientiam incredibiliter corrumpunt & maculant: Et niſi pictor iſte ſeverioribus aliunde conceptis ideis coërceatur, in omnem petulantiam & Laſciviã ſe effundit, nocétq; multo amplius ſuis cũ imaginibus, quàm verbis poſſit explicari. Huc igitur mittatur, ut ſedulò Iobum in ſterquilinio, Chriſtum in patibulo addiſcat repræſentare. Hos duos Heroas, Iobũ ulceroſum, Chriſtum flagellatum & cruci affixum, ſemper in oculis ſani, ſemper ægroti, ac moribundi feramus; præſertim cùm adverſa nos premunt, tum ad geminas has imagines recurramus, & iiſ-

& iisdem oculos animumque quantum satis fuerit, occupemus, imò penitus expleamus.

Iobus enim sub dio considens in fimeto supremam præstolabatur horulam, undequaq; desertissimus. Ex hac cathedra vir sapientissimus profitebatur patientiam! Hæc magno Numinis amico pro sella eburnea, pro lectica quondam argentea serviebat! Cui non malè inscriptio præfixa fuisset, quam nuper, Tamerlanes sibi moriturus ipse dictârat; cum nempe se mortuo, vilem pannum in perticam suffigi, & per urbem ferri voluit, præcone interprete: Hoc totum est, quod Orbis Domitorem manet. Idem Iobo in fimo acclamari poterat. Hoc est quod Rex Orientis Iobus habet; testulam, quâ saniem abradat. O bellam hominis strigilem! è luto testam! O sortem longe durissimam! Ad eam redactus sedet egestatem miser, ut ex omni facultatum copia nec vilem quidem centunculum ad manum habeat, quo pus extergeat. Testula in fimetum temere conjecta pro molli strophio; pro spongia servire cogitur ad saniẽ

sic-

ſiccandam. Credibile prorſus eſt, Iobum unguibus & digitis fædè intumeſcentibus ad frictu uti nequiiſſe.

Quis ergò Lazarum ad hanc fortunam Jobi compoſitum, non continuo exclamet felicem? ter quaterque prædicet beatum? qui & urbis inquilinus manſit, & ad oſtiū divitis epulonis cubans medicos magno numero canes numeravit; cum Jobus urbe pulſus procul hominum ædibus & conſpectu in ſterquilinio jaceret. Lazarus quidem pauper, ſed ab ortu ſuo inopię aſſuetus, facile deliciis caruit, quas nunquam eſt expertus: At Iobus pauperrimus quia è divite ad incitas redactus, quod longè urit acerbius. Lazarus æger & ulceroſus fuerit, ſed Iob ægrotorum miſerrimus, quia ipſa morborū omnium taberna & receptaculum eſt factus. Lazarus, ut ille ad piſcinā paralyticus, hominem non habuerit, qui manum commodaret; at Iobus manibus omnium, à quibus antea ferebatur, excuſſus, non ſervum, non ancillam habebat cujus ope uteretur; à cognatis, & ipſa etiam conjuge plus quam deſertiſſimus tabeſcebat. Lazarus tametſi mica-

micarum repulsam tulit, quò minus tamen oculos opiparis cibis & nidore nares pasceret, à nemine prohibebatur: At Iobus etiam à sordibus hospitii oculorum & narium non modicum tormentum capiebat: imò pro musica, quæ Lazaro mitigare poterat & egestatem & dolores; vir afflictissimus à regibus cognatis non nisi dicteria & acerbissimos haurire habuit sarcasmos, quibus hypocriseos & simulatæ virtutis arguebatur, ac omnem calamitatem suam, tanquam justi Numinis vindictam excipere jubebatur; Lazarus, quod caput esse discriminis possit, patientiæ formam & exemplum ex Iobo sumere poterat; Iob neque Lazarum, neque Iobi alterius ideam ad virtutis imitationem vel per somnium potuit habere.

Credibilissimum etiam est, quod Origenes Philosophatur; Iobum per testam insultare voluisse hosti suo. Nec satis miser sibi visus ex hoc, quod à Satana patiebatur, cruciatus cruciatibus addebat. Non accepit molle aliquid, ait, ut abstergeret molliter, leniter, &c. sed accepit testam duram, asperam, ut raderet cum dolore saniem,

niem. (quasi diceret) Ego non succumbo doloribus, non sunt fortiores animæ meæ firmitate: Exaggero illos, ut per cuncta ostendā nequissimo Diabolo, quia malitiam ejus irrideo, iniquitatē contemno, omnes plagas ejus & vulnera ad nihilum reputo. Ob hoc ergo accepit testā, ut raderet saniem suam. a Noverat ille quidem Deum humanis non oblectari miseriis, at verò erectū excelsumque inter miserias animum credebat eidē præ omni spectaculo arridere. Hinc sese animans dixerit: Eia placeamus Deo nostro, magis magisque miserias miseriis accumulemus, & divinam in omnibus providentiam collaudemus.

Videte, obsecro, quàm catenatæ sint virtutes, quàm una ex aliâ pede presso consequatur! Si Iobus duarum aut trium hebdomadum patientiam animo proposuisset, nimium ea brevis fuisset. Si duorum aut trium mensium, nec ista suffecisset; si duorum aut trium annorum; longa hæc quidem, sed impar huic tam diuturno certamini. Septennio in tantis non doloribus solùm, sed verè tormentis,

a *Orig. l. 2. in Iob circa medium.*

durandum erat; ideo non patientiâ tantum ſed & conſtantiâ opus erat, junctis virtutibus, quas uno nomine Longanimitatem vocamus.

Quoties nos, cùm miſerias noſtras deploramus, prolixitatem mali accuſantes: Iam ſex, inquimus, ſeptémve annis non repugnanter hoc malum tuli; Iam duodecim, jam viginti, jam annis quadraginta has ærumnas toleravi. Longa patientia fateor, ſed deſideratur Conſtantia; Longanimitate opus eſt. Patientia non eſt ante finem finienda. Quouſque igitur, dices, hæc patiar? Quamdiu tot afflictiones feram? Quamdiu Deo, divinæque providentiæ placuerit, dum in cruce canamus cum Chriſto: *Conſummatum eſt.* Conſtantiam in patientiâ maximè ſpectat Deus, ſine hac etiam ipſa cadit patientia.

Joſeph Ægypti prorex decennio ſervus, triennio mancipium fuit & captivus. Tandem eò fortunarum & ſplendoris evaſit, ut regi eſſet proximus. Hoc ei conſtans patientia, ſeu longanimitas contulit. Tobias ſenex cæcitatem quadriennio patientiſſimè tulit, nam cum annum ageret

ret quinquagesimum sextum luminibus oculorum privatus est. Anno sexagesimo non solùm visum, sed & perditas facultates denium omnes, & ampliores recepit. Hoc ei longanimitas dedit. Formosa Rachel Jacobi conjux annis septem fuit infæcunda; Rebecca annis viginti; Sara annis quinquaginta hoc probri tulit. Longanimitas eis plurimum profuit. Hîc mirum, inauditum quid attexo, quod duo testes fide dignissimi Heraclides & Palladius commemorant.

In monte Nitriæ vir notæ sanctimoniæ Benjaminus habitavit annorum octoginta senex, prodigiis clarus, nam ægros, cuicunque manum imposuisset aut oleum dedisset, ab omnigenis morbis persanavit. Eò tamen miseriarum in morbis ipsemet devenit, ut novus Job appellaretur. Palladius testis oculatus: Vidi ego ipse meis oculis, inquit, & allocutus sum Benjaminum. Nam Dioscorus Episcopus me atque Evagrium assumens socios: Venite, ait, & videte novum Job. Benjaminus enim, quẽ vidimus, Hydrope prodigiosissimâ octo mẽsibus laborãs, tumore, quẽ ipsi

ſpectavimus, tam horribili diſtentus eſt, ut minorem ejus digitum utrarumque manuum noſtrarum digiti nequaquam potuerint complecti (hiſtoricorum verba ſunt) Aſpectus erat tam lacrimabilis & teter, ut oculos coacti ſimus aliò divertere. At ille immenſam patientiam cum gratiarum actione exhibens: Hoc ſolum, ajebat, orate filii, ne meus internus homo ſit hydropicus: mihi ſano corpus non profuit, nec jam me lædet, ita domitum. Hac ratione octo menſes exegit, ita quidem, ut nec ſtare nec ambulare nec jacere, vix certè, & non niſi miſerrimè poſſet ſedere. Facta eſt ei ſella latiſſima, quam totus impleverat. Nihilominus, in hoc ipſo ſupremo morbo, ægrotos omnes quorumcunque morborũ reſtituit ſanitati. Mortuo limen oſtii effractum eſt, ut efferri poſſet. a

Ne mireris, Lector, & ne fidem nega Hydropi tam inauditæ, & ut videtur incredibili. Fidem adſtruo.

Mona-

a *Heraclides in ſuo paradiſo, apud Roſweid. mihi pag. 942. & Palladius epiſc. c. 13. mihi pag. 717. ad unguem ambo in narratione hac conveniunt.*

Monachii in valetudinario publico immedicabilium morborum, femina fuit Hydropica cui nomen Anna, Rosenhemii nata, Octobri mense mortua Anno Christiano millesimo sexcentesimo decimo. Exsectus mortuæ venter bilanci impositus triginta sex Monacenses libras appendit, duas & septuaginta mensuras aquæ idem continuit. Clarissimi medici, qui hæc ipse spectavit, chirographum in rei testimonium retineo.

Sed miriora his morbis supplicia pertulerunt Clemens Ancyranus & Agathangelus generosissimi martyres. Hi per viginti octo annos exquisitissimis tormentis tam Romæ quã Nicomediæ, fuerunt excarnificati. Tortores citiùs defecerunt torquendo, quam illi tormenta perferendo. Tyrannus nonus in excruciandis illis succubuit. Hinc non malè arbitratur sacer historicus, omnes ab iis martyres superari, tam diuturnitate carceris, quam ingeniosâ varietate tormentorum & immanitate, nam gladios, ignes, equuleos, bestias, sartagines, rotas, culeos, omnes Diaboli machinas vicerunt tolerando. Nec

ferè amplius quidquam excogitari potuit carnificinæ, quam illi non ſubierint, & hæc moriendi viciſſitudo & neceſſitas annos viginti octo duravit. Denique anno Chriſtiano trecenteſimo tertio, Diocletiano & Maximiano Imperaroribus, ſupplicium obierunt ſupremum. Mi Deus, longa hæc fuit & conſtans patientia, & vero nomine Longanimitas. Porrò Patientiam maximè corroborat, & ſolidat hæc una cogitatio: Deus ſcit opportunum tempus, quo in crucem attollat, quo liberet ac deponat. Hæc temporis momenta pater cæleſtis in ſuâ poſuit poteſtate; ſuum cuique hominum patiendi tempus ad punctulum commenſus eſt: iſte diu, diutius ille, hic minus affligitur, prout divinæ viſum providentiæ. Non fert Deus ſibi ordinem, tempus, modum affligendi ab ullo præſcribi. Hæc omnia mala Deus, & omnes omnino hominum pœnas circino menſus ad minutiſſimas minutias deſcripſit. In hoc theatro ſuo divina providentia nec punctulo exerrat.

Lydwina Virgo Schiedamenſis, anno decimo quarto in glacie lapſa

coſtam

costam fregit. Leve poterat videri malorum initium. Accesserunt omnis generis morbi gravissimi, qui ipsis triginta tribus annis miseram puellam incredibiliter exercuerunt, sed cælo præpararunt. Tanto tempore Lydwina bis ægra, quia paupertate & morbis afflicta, demum Anno millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, die decimâ quartâ Aprilis ad vitam transiit meliorem. Morbus sanè diuturnus & ingenti longanimitate vincendus, qui triginta tres annos opprimit. Verum paralyticus in Salomonis porticu decumbens, quem Christus nutu sanavit, annos triginta & octo, egestate summa & morbo conflictabatur, nec enim vel ullum habuit homunculum, à quo præ cæteris demitteretur in aquas: Grandi longanimitate hîc opus fuit. Sed contumacissimos ejuscemodi morbos, qui viginti, triginta, plures annos teneant, nos etiã subinde oculis spectamus. Hîc nostra sese Longanimitas ad tolerandum concitet, assiduo divinæ providentiæ intuitu, cui vel ad horulæ punctũ errare negatũ est. Tempora & Momēta Pater posuit

in suâ potestate. *a* Ita castissima & fortissima Iuditha longanimitati persuadendæ perorans: Et qui estis vos, inquit, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Expectemus humiles consolationem ejus. *b*

Expectemus & nos. ô Christiani, expectemus magnâ longanimitate divinas consolationes. Non sufficit patientia, quantumvis longa, si desit Constantia. Non solùm ergo patientes, sed & Constantes, hoc est, longanimes simus, sive Deus triennium, sive sexennium, sive decennium videatur moras trahere, seu viginti sive triginta, vel quadraginta, aut ipsos etiam quinquaginta annos expectet, expectemus & nos divinum auxilium, & sicut Domino placuerit, ita fiat. Hæc Iobi panoplia est adversus omnes hostes. Iam vicit, qui sic pugnaverit.

a *Actor.* c. 1. *v.* 7.
b *Iudith.* c. 8. *v.* 11. *& seqq.*

CAPUT XVIII.

Vltimus à Diabolo & validissimus aries admovetur Iobo, Vxor; & generosissimè sustinetur, gloriosissimè triumphatur.

POlydamas ostentum roboris, si Cælio Rhodigino fides, viribus idem potuit, quod Iunius Valens Augusti centurio. Nam quadrigas pleno impetu currentes sistere valebat, unâ duntaxat manu in currûs tergum injectâ; Leonem inermis, quoties voluit, exarmare ac conficere valuit. Nonnunquam animi gratiâ armẽto boum sese immiscens, & tauri ferocissimi pedem arripiens tamdiu tenuit, dum fremebunda bestia ungulam in manu tenentis relinqueret. Isto robustior Titormus Ætolus pecoris custos, quandoque stans medius armenti taurum omnium sævissimum comprehendit pede ac constantissimè retinuit, quamtumcunque luctaretur ferox bellua. Nec satis hoc. Idem manu alterâ ferocientem bovem alium apprehendit eumque pari robore tenuit, ut neuter, quicquid sævirent, tenẽtis manibus sese potuerit extorquere. Hoc cernens Milo Crotoniata:

O Jupiter, exclamat, num alterum nobis Herculem dedisti? Hinc vetus dictum: Alter Hercules.

Vir patientissimus, Christi prototypon Iobus tantâ magnanimitate simul & longanimitate, omnes Diaboli insultus, flagra, cruciatus ita sustinuit, ut omnem adversarii vim devicerit patientiâ. Diabolus in eum duos immanes, furiosos, tauros emisit. Primus omnia fortunæ bona evertit; Iobus tamen animo non cecidit. Alter omnia corporis bona eripuit, morbos & dolores vix homini tolerandos immisit; Iobus tamen erectus stetit statque adhuc, & victor constantissimus inter innumeras ærumnas eminet. Ultimus restat aries, quem diabolus in supremum certaminis punctum servavit, quòd Iobũ illo indubiè concutiendum crederet. Ergo Iobi uxorem in ipsum Iobum instigat, hoc modo, ni fallor, ratiocinatus: In paradiso hæc mihi inventio cessit feliciter, cessit optime, eandem hìc palmam quin speraverim? Etenim Adam multò sapientior Iobo, illum tamen per conjungem vici. Colligamus & aucupemur omnia; jacia-

jaciamus aleam. Res pænè certa eſt. Victoriam manu tenere mihi videor. Iobum per uxorem ad impatientiam ſaltem commovebo, niſi angelum induerit, hominem propemodum tormentis exutus. Age, lubricam maledicæ mulieris linguam in fermentum conjiciamus, & laxemus quaquà volet, ruituram. Væ tibi Iob, ultima venit phalarica, in tuum limata exitium. Hæc certum ſibi deſtinat in te ictum. Vulneraberis; ita ſpero. Animum tuum tua uxor expugnabit. Cave; jam volabit ferrum miſſile, ſanguinemque tuum hauriet.

Venit igitur uxor, & perſonam ſibi à diabolo impoſitam agit eximiè. Sed invenit virum adverſus maledicas etiam linguas armatum. Iobus cōſtantiſſimè patiēs: *Si bona*, inquit, *ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* En aurum & gemmas loquitur vir iſte. Sub uno hoc reſponſo ſeptemplex latet documentū, quod iſto capite in lucē eruemus.

Annuente Deo Diabolus omnes furores ſuos, omnemque ſuam tyrannidē in unum Iobum effudit. Opes ademit omnes, & eò egeſtatis redegit,

ut Jobus vix testulam habuerit pro strigili, ad saniem abradendam. Liberos necavit omnes. Famulos, servos, ancillas fugavit omnes; nullus hominum Iobo ministrare sustinet, ne & ipse etiam contagiosis fœtoribus inficiatur. Corpus merum pus, & unum pænè ulcus est, tot fædis & abominandis morbis ita deformatum & exhaustum, ut vix animam trahat, extremum busti cadaver. Ad hæc vir pauperrimus, adeò undique exclusus, adeò undequaque ab omnibus abjectus est, ut nullus ædium angulus, nullum sub tecto uspiam spatiolum, quod vivum hoc funus recipiat. Publicum ergo fimetum occupat, quò feles aut canes mortui abjiciuntur. Fimetum ejus cubiculum est, idque ex gratiâ; ejus lectica, triclinium, mensa habitatio est. Et quod omnia hæc mala mirum quantum exacerbavit, jam septimus vertebatur annus, quò tantam ærumnarum molem pertulit. Sed necdum finis. In horas quidem singulas moritur, sed emori non potest. Mors in vitâ tam acerbâ longè facilior fuisset.

Iobi uxor ante hac princeps femina,

na, potens Regina, nunc victu cogitur mendicato vivere; apud servos suos fragmentum panis poscit, & ne moriatur fame, ancillam agit. Ita Basilius & Chrysostomus loquentem sistunt: Ad januas alienas ventito, nec stipem modò cogo, sed etiam oberro, ac novam inusitatámque servio servitutem, cibi quotidiani caussâ fores pulso ostiatim. a Hæc profectò tam calamitosa fuit paupertas, ut dixerit Iobus: Saltem nunc intelligite, quia Deus flagellis suis me cinxerit. Destruxit me undique, & pereo. Iratus est contra me furor ejus, & sic me habuit quasi hostem suum. b Hæ tam multiplices mariti miseriæ, ita Hussæam hinc principē graviter affecerunt ut tandem proruperit in has voces. *Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ.* O non hominem, sed oviculam simplicissimam! An nō tandem animadvertis, quo animo, quo affectu in te sit Deus, quo consilio te tantopere affligat? Si istud demū tuus stupor non capiat, omnis profectò intelligentia & prudētia te de-

a *Salian. c.* 1. *p.* 177.
b *Iob. c.* 19.

destituit. Ergo *Benedic Deo, & morere.* Acerbissima sanè hoc ironia fuit, quâ Uxor non simplicitatem mariti laudavit, sed stupiditatem & stoliditatem objecit. Pro sermonis clausulâ illud ironiκῶς adjecit: Benedic Deo. Euge mi vir, quando tè Deus ita humaniter, benignè ac suaviter tractat, benedic illi, & meritissimis eum laudibus extolle, ac summè prædica. Cavillum prorsus amarulentum! Tali Tobiam quoque dicacissima uxor afficiens: Manifestè, inquiebat, vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt. a Vides hominum simplicissime, quid tua tibi prosit liberalitas? Fenus scilicet amplissimum inde metis, cæcitatem & inopiam. Sicut autem beato Iob insultabant reges; ita isti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: ubi est spes tua, pro quâ eleemosynas & sepulturas faciebas. b Sic Iobi conjux à diabolo instigata, sarcasmo amarissimo maritum lacerans: Vides, ait, quale tibi præmium Deus, pro tot tuis sacrificiis rependat? perge igitur illum identidem lau-

a *Tob. c. 2. v. 22.* b *Ibid. v. 15.*

laudare, perge, perge illi, ut ſolitabas benedicere.

Similia ſecum ſervus à Domino malè habitus muſſat: Servi Domino infideli, & fame peri; ale luporum catulos, ſerpentem mulce. Haud aliter indignabunda hæc femina & inſultans conjugi: Benedic Deo, inquit, & morere. His vocibus ſatis innuit & impellit, ut miſeriarum finem à Deo petat, aut finem ipſe faciat, quandoquidem omnia ſint fruſtra, & nulla ſpes ampliùs valetudinis.

Hæc omnium pænè graviſſima fuit tentatio. Hanc catapultam dæmon in ultimum pugnæ diſcrimen ſtudio ſervavit, ſperans hac ſaltē baliſtâ Iobum ad impatientiam concitandum.

At Iobus piè, ſapienter, placatéq; acriter tamen reſpondens: Quaſi una, inquit, de ſtultis mulieribus locuta es. En prudentiſſimam in tantis doloribus moderationem. Nam reprehenſionem, quæ paullulum fuit amarior, ita leniit, ut non ſtultam, non impiam vocarit, ſed quaſi unam de ſtultis mulieribus cōpellans: Hactenus nunquā ita locuta es, inquit, nec tale quid à me unquam audiiſti.

Primùm

Primùm hodie garris, ut nostræ Idumææ solent, mulieres stultæ, quæ deos suos spernunt & maledictis afficiunt, quando res ad votum non succedunt. Moderatissima sanè objurgatio, cui additum & istud: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Sermo aureus & antistans gemmas. Utique omnes in cælo Angeli his auditis vocibus applaudebant, & larva stygis, si quam induit frontem, tota in ruborem abiit: ita mastigia luculenter pudefactus, & calumniæ cælo terraquè inspectante tam liquidè convictus est, ut si antea mendaciorum pater non audiisset, ex actione hac unica nomenclaturam ejusmodi promeruisset: adeò perfidioso pseudoplastæ *a* os obstructum est, & fraudes illius pervidendæ ad solem septennio integro sunt prostitutæ.

Isaacus jam oculis caligantibus, benedictionem per appositas epulas rogatus. Vox quidem vox Jacob est, inquit, sed manus, manus sunt Esau. *b* Ita hìc licet dicere: Vox conjugis sed astus dæmonis. Feminæ sermo, sed

a Lugenschmid. b *Gen. c. 27. v. 22.*

sed Diaboli tentatio. At Iobus tam constanti patientiâ omnem tentationis vim elisit, ut & nobis adversus tentationes & calamitates omnes arma subministrarit paratu non difficili, his verbis: Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus. a Hæ voces in adversis omnibus mirificè nos roborent, nam ex iis documentum septemplex, ut insinuatum est, eruimus hoc ordine.

Primum est; fundamentum Dialecticæ cęlestis, Syllogismus Iobi talis: Quidquid est de manu Dei, bonum est; Omne id quod patimur, de manu Dei est; ergo bonum est. Positioni primæ nemo reluctabitur. nã a summo bono nil potest esse mali: atqui omnes omnino pœnæ, quas in hoc orbe ferimus à summo bono, à Deo sunt; ergo bonæ sunt. Dominus abstulit, non diabolus; ignem dejecit è cælo Dominus; Dominus immisit vẽtos, & ruẽte domo liberos Iobi occidit; Dominus hæc omnia fecit, sed Chaldæis & Sabæis, sed diabolo usus est ut instrumẽtis. Ipsa Iobi uxor hęc veritatis fundamenta satis intellexit,

 ideò

a *Iob c. 2. v. 10.*

ideò maritum contra Deum concitans: En, inquit, sic te tractat Deus: benedic Deo, & morere. Nos jam luculentissimè videmus omnes Jobi calamitates & ærumnas à Deo divinâque providentiâ immissas. Deus permisit, imo & voluit Deus Jobum hæc tanta pati. Memineris velim, mi Lector, verborum quæ in Heliotropio meo reperies; sunt ista: Deus, & divina voluntas est omnium malorum in Mundo effectiva positiva causa, excepto peccato, quod tantum permittit Deus, non vult. Ergo si malum omne à Deo est, etiam hæc Jobi mala à Deo erunt. Ita & hic Syllogismus sibi constat: Quicquid è manu Dei venit, bonum est: Sed hæc paupertas mea, hic morbus & dolor meus, hæc ignominia, hic luctus & omnis afflictio mea è Dei manu venit: ergo bonum est. Sic olim Christus in oliveto loquebatur: Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? a Non Annas, non Caiphas, non Herodes, sed neque Pilatus hunc amarissimum Christo calicem miscuerunt, sed miscenti Dei, nequitiam

a *Ioan.* c. 18. *v.* 1.

tiam suam, suasque manus commodarunt, tanquam Pharmacopæi famuli. Hunc calicem Deus Pater ipse miscuit, Caiphas & Herodes propinavit, Pontius Præses exhauriendum porrexit. Fundamentum adversus mala omnia inexsuperabile.

Alterum; Providentiam divinam tam nobis, quam uxori suæ Job digito monstrans: Si bona, inquit, suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? hîc Jobus vulgi stylo loquitur, & *Bona* nominat lætos rerum successus; *Mala* res adversas & casus infestos vocat. Si ergo, inquit, res nobis prosperæ placuerunt, placeant & adversæ. Siquidem tam istæ quam illæ, à Deo sunt. Quid uxor, quid hîc malè intergarris? Nos qui sumus? Num terræ vermiculi divinæ providentiæ dictemus modum quô nobiscum agat? Nos servulos vilissimos accipere mandata & jussa capessere fas est, non dare. Hoc ipsa nos ratio docet. Deus imperat; sed providentissimè ac sapientissimè. Hæc Omnia quæ patimur, Deus ab omni æternitate ad exactissimam vormam descripsit & direxit, singulas pœnas

cum singulorum viribus commensus est. Neminem vel mali atomus contingit absque divinæ providentiæ concessu. Serum nimis est velle hunc ordinem invertere. Sinamus Deum agere. a Sicut Domino placuit, ita factum est, ita fiat, ita futurum est.

Tertium; Humanæ vicissitudines hîc expendendæ. Nemo mortalium est, cui semper Phœbus faveat, cui puri semper soles luceant, cui rideat æther innubis. Solus Deus semper beatus. Omnes homines his rerum vicibus ita subjecti sunt, ut modò valeant, bene sit illis; modò turbentur, lugeant, malè, pessimè sit illis. Nihil hoc novi, semper hoc fuit, semper erit. Hodie valemus, cras ægrescimus; jam ridemus, paullò post lacrimas effundimus; modò divites, modò pauperes sumus; jam vivimus & stamus, brevî cum mortuis jacemus. Sub cælo nihil stabile. Si ergo, inquit, Iobus, bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? Recordare obsecro, mea uxor, præteritorum temporum, dum nobis famu-

a Wir wöllen Gott walten und schalten lassen. *Veterum Germanorum scitum.*

famulorum copia, d... ancillarum ministraret ...am multitudo auro gemerent cist..., dum refertæ næ fluerent cell...æ, dum vino plenostra pen...æ, dum abundarent starent ho...rea, dum tritico stipata numeru... n pascuis erraret, dum rerum o...mnium ubertas nos bearet, su...ve nobis fuit, nec molestas temporis moras sensimus; optassemus aliquam felicitatis hujus æternitatẽ. Cur jam adeò moras sentimus; cur dies & horas accusamus? quid in Deo culpæ, quòd sua sibi repetierit? Ideò nunc toleremus mala, quia diu satis percepimus bona. Hæc nobis dicta credamus, Christiani, & idẽ cũ Iobo in omnibus sentiamus & loquamur.

Quartum; Tam clementiam quàm justitiam divinam amantissimè complectamur, hunc ponentes calculum: bona percepimus sine nostris promeritis; mera fuit gratia, mera Dei liberalitas & clementia: Hoc nobis gaudio fuit & solatio, cor nostrum jucundum: Nunc verò cum Deus, prout promeruimus, pro modo delictorum, suæ justitiæ convenienter nos tractet, & noxas punit;

 non

non æquo id animo feramus? Si nihil unquam gratiæ fecisset Deus, nihilominus, quod à servis & mancipiis poscit æquitas, hæc vera, domini manu inflicta, essent patientissimè perferenda: quantò magis cùm innumera præcesserint & amplissima beneficia, quæ ad omnem nos obligant patientiam? Cùm opifici mechanico in antecessum *a* pars mercedis, viginti, triginta, centum Philippei dantur, prout futurus est labor, obligatur certè opifex & compellitur ad laborem bene ac maturè conficiendum, jam enim arraboni nummos accepit. *b* Ita nos reverâ Dei beneficiis conducimur, ad hæc omnia vitæ mala patienter perferenda.

Quintum; Cornutus Jobi syllogismus: Hæc omnia vitæ mala vel à Deo sunt, vel à diabolo? Si à Deo sint, uti reverâ sunt, satius omnino est, submissione, precibus, ac patientiâ Deum placeamus, quàm impatientiâ, diris imprecationibus & maledicentiâ ad iram graviorem provocemus. Si à diabolo sint, aut à diaboli

a Auff die Hand

b Er hat schon hafftgelt empfangen.

boli ministris, hominibus malis, cur Deum accusamus, perinde si nobis injuriam fecerit, cum diabolus in causâ sit, ut dicis. Cum autem verissimum & indubitatissimum sit, hæc mala omnia provenirè à Deo, qui suas pœnas cometitur peccatis nostris, æquissimum prorsus est, ut offenso Numini pœnitentiâ & patientiâ satisfaciamus. Quod si denuò dicas à diabolo improbisque hominibus hæc oriri, captus es iterum; sit enim hoc verum, uti esse non potest, tunc nobis invocandus esset Deus, & patientiâ in amicum conciliandus, ut adversus diabolum malosque homines subsidio veniret, & manum commodaret. Nostræ igitur menti altissimè infixum sit illud, Dominus dedit, Dominus abstulit.

Rarum est, quod explicandis dictis attexo. Orientis Imperator Diogenes Romanus, qui triennio solo & octimestri rempublicam gessit, quod Curopalates narrat. Hic in Turcas arma movit, sed Turcarum Imperator Asan Sultanus Diogenem bello cepit, humaniter tamen habuit, & mensæ suæ admovit. Nato sermone

quæsiit: Dic verò, mi Diogénes, quî me tractasses, si in tuâ me potestate habuisses. Hìc Diogenes grandi animo: Crebris, inquit, vulneribus te confecissem. Cui placidè Sultanus: At ego, ait, nihil hujusce immanitatis in te adhibebo. Non nescio à Christo vestro pacem & injuriarum oblivionem præcipi: Eundem ajunt superbis resistere, modestis dare gratiam. Stabo tuis legibus: meo ferro non cades. Fecit quod promisit, fœdus iniit æternandum, eâque ratione captivis omnibus missionem dedit. Interim Constantinopoli alius creatur Imperator Michaël Ducas VII. Constantini Ducæ filius. Hic Eudociam Augustam in cænobium compegit. Diogeni redeunti in occursum, sed minimè honorificum, missus est Andronicum, qui Cæsarem diademate ante jam exutum, duceret captivum. Diogenes veste pullâ indutus, & mulo impositus longo itinere ductus est. Ei demum novus Imperator oculos jussit effodi. Cum autem oculorum cavum negligentiùs curatum suppuraret, caput totum intumescere, verminare, fœte-

fœtere cæpit; ita productus est omnibus spectandus tanquam ostentum & prodigium: Inter hæc ludibria & dolores obiit. Breves hîc pœnas luens, ne lueret æternas. Enimverò in talibus & tot malis (ait Curopalates) nihil unquam nefarii protulit, sed Deo gratias agere perseverans, casus tam acerbos æquo animo ferebat, quia in oculis auctorem pœnarum omnium, Deum habebat, cujus non Clementiã solùm, sed & justitiã ex æquo adorandam cognoscebat.

Sextum; Societas cum Deo ineunda, quemadmodum Mercatores aliquot Sodalitatem inter se coëunt, & conferunt pecunias in negotiationẽ. Hæc tam lucri quàm damni est Societas: Fit lucrum? commune est; sua cuique pars cedit. Fit damnum? Pariter commune est, & proportione servatâ tangit omnes. Quis autem accepto damno dixerit? Ego indemnis & sospes haberi volo: lucri sociũ me profiteor, non damni. Heus bone vir, hoc serò nimis & fatuè dicis: qui socius est lucri, sit & damni necesse est. Hæ tales mercaturæ societates aliter nõ coalescunt. Ubi lucri, illic &

damni est communio. Audendum, & pecunia in casum danda, seu quæstus seu dispendium sequatur. *a* Pari conjunctione lucrosissima cum Deo Societas iniri potest, quæ lucri & damni æqualem habeat communicationem. Redit quæstus, & res feliciter eveniunt? sua Deo pars cedat, gloria; sua homini sit, fructus & rei utilitas. Quæstus impeditur, & adversæ sunt res? suam iterum partem Deus accipiens: Cum ipso, inquit, sum in tribulatione. *b* Suam & homo capiat, quam ei Paulus assignans; sicut socii passionum estis, inquit, sic eritis & consolationis. *c* Quandocunque igitur pars damni ad te pervenit, illud Siracidæ lætâ mente cogita. In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum, ne immemor sis bonorum. *d* Ita cum Deo mercaturam parem, tibi autem fructuosissimam exercebis.

Usura mundi mitissima est, cum accipiuntur fenore centum, & unus redditur. Deus florenum unum accipit & centum reddit usurâ incre-

dibili

a Auff gwin vnd verlurst b *Ps.* 90. *v.* 15. 1. *Cor. c.* 2. *v.* 7. d *Eccl. c.* 11. *v.* 27.

dibili & summâ, & tamen stultissimi homines recusant fenus argenti Deo credere. Hominum fatuitatem Petrus Chrysologus obstupescens pulcherrimè dixit: *Usura mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum, & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsan de cautione solliciti? Quare? Homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur.* a

Quapropter fidentissimè hanc mercandi societatem cum Deo ineamus; sed quæ non lucrum tantùm sed & damnum habeat commune. Aliter hæc Societas non constat: damna præsentia futuris lucris abundantissimè pensabuntur.

Septimum; Beatissima Æternitas longanimiter exspectanda, si enim bona suscepturi sumus de manu Dei, mala quare non suscipiamus: Paratissimus est Deus, & hoc unum agit, ut totam nobis immortalem, immensam, beatissimam, nunquam finiendam donet æternitatem, & nos annis

a *Chrysol.* 8. 25.

annis pauculis nolimus pati quæ optimus pater patienda nobis destinavit ab omni ævo? Merito hìc interrogem: Cùm bona suscepturi simus in æterna, cur mala non feramus momentanea? Quid opificum tirones molestiarum ac verberum non perferunt, aliqui duobus, tribus alii aut quatuor, quidam sex annis, non nulli etiam octo; idque solâ spe futuri? quid miles incommodorum non tolerat spe prædæ; spe segetis agricola? quid institor non agit spe quæstuculi; quid mercator non audet spe lucri; quid famuli & ancillæ non perpetiuntur spe mercedulæ?

Hos tamen quoties sua spes fallit? Et nos cessatores somnolentos spes certa sincerissimæ voluptatis & æternæ non excitet ad agendum fortiter & patiendum? Quòd si è præsentibus capimus dolorem, profectò è præteritis, & multò magis è futuris capiamus consolationem. Fluant nunc lacrimæ; sequetur risus & summum gaudium: Fames & sitis torqueant modò; sequetur saturitas suavissima: Indigentia & paupertas urgeant, sequentur divitiæ non minuen-

nuendæ: Morbi & dolores lancinent, ſequetur ſanitas nunquam amittenda: Ægrimoniæ, luctus, mærores cor exedant; ſequetur interminata voluptas: Ignominia & contumeliæ diſcrucient, ſequetur gloria immenſa. Mors demum ſternat, & è vivis ejiciat; immortalitas ſequetur. Toleremus nunc vinum aceſcens, turbidum, dilutum, & brevi in menſâ Chriſti dominicum, meracum, defæcatiſſimum bibemus: ſocii dolorum, ſocii & præmiorum.

CAPUT XIX.

Theatri divinæ Providentiæ Pars Tertia.

Iob Beatus & non elatus.

QUid exſpectas, amice Lector, cum inſcriptionam hanc legis? Jobum utique ſpectare Beatum: Ita libelli te Author in limine ſperare juſſit, bene habet: promiſſis ſtetit. I, licet; ſpectaſti.

Quid ita, inquies? Hîc encomiaſtes Jobi, Hieremias Drexelius de tabula manum levavit; hic tandem ſcriptitare vir bonus deſiit Non ſine admiranda Numinis providentia; ne

ne forsitan mortalium aliqui, plus aliàs caducis rebus, quàm par est, dediti, iisdem, etiam hoc exemplo, amplius inhiarent. Nam quid scripturum aliud sperasses, si tertiam theatri sui partem adornasset, quàm quod sub finem historiæ Jobi scriptor Moses attexuit? Nempe.

„ Addidit Dominus omnia, quæcun-
„ que fuerant Job duplicia, *a* Dominus au-
„ tem benedixit novissimis Job magis,
„ quàm principio ejus. Et facta sunt ei
„ quatuordecim millia ovium: & sex mil-
„ lia camelorum: & mille juga boum &
„ mille Asinæ. Et fuerunt ei septem filii
„ & tres filiæ. *b* Vivit autem Job post hæc
„ centum quadraginta annis; & vidit fi-
„ lios suos, filios filiorum suorum usque
„ ad quartam generationem. *c*

Hanc daturus tibi erat Beatitatem Drexelius in tertia theatri parte, quam non nemo Christianorum veram hominis felicitatem credidisset; ut olim illi apud Regium
„ Psalten; Beatum dixerunt populum cui
„ hæc sunt. Filii (scilicet) sicut novellæ
„ plantationes in juventute sua. Filiæ
„ compositæ, circumornatæ ut similitudo
„ templi. Promtuaria plena, eructantia
„ ex hoc in illud. Oves fœtosæ, abundan-
„ tes in egressibus suis: boves crassæ, &c.
d Verbo, ea omnia, quæ Job duplicia accepit; hæc inquam, author theatri hujus repræsentare tibi parabat, nisi morte impedi-

a *Iob. 42. v. 10.*
b *Ibid. v. 12.*
c *Ibid. v. 16.*
d *Ps. 143. à v. 12. usque ad finem.*

peditus fuisset: rectius dixerim; nisi & ipse spectatum avocatus esset: sed Jobum verè Beatum.

Quam enim descripturus erat beatitudinem, non est, falleris hæc beata, non est, etiam Davide arbitro: qui cum referret illa, quæ audisti verba: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Continuò suam super errore illorum sententiam adjecit. *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Quam Regis menten Bellarminus explicans, ait: Bona temporalia, bona quidem sunt, sed beatum non faciunt: quod autem verè beatum facit, possessio summi boni est, quod in visione Dei consistit. *a* Hæc Jobum, hæc beatum fecit, & jam mille sexcentis amplius annis in cælesti orchestra spectandum præbuit: ad quod spectaculum, uti confidimus, ipse etiam P. Hieremias libelli author invitatus atque admissus est, Nosque omnes qui theatri ejus tertiam desideramus partem, illic avidè expectat. Interim nemo habet, quod illum in terris promissi postulet: cum etiam in Calamitoso Jobo Beatum exhibuerit: tantòque beatiorem, quanto mortalibus omnibus miseriorem. Ita Veritas sentire nos docuit; quæ pauperes & lugentes, quæ persecutionibus & incommodis omnigenis obnoxios beatos pronuntiavit. Rectius ergo Drexelius, quod promiserat, non præstitisset, etiamsi Jobum in integrum restitutum ostendisset: neque in regni solio locatum, quam in simeto relictum orbi universo Beatiorem demonstrasset. Iudicium hoc aureus tulit Orator, cum scripsit. *Fimus Jobi,*

a *Bellar. in lc. Ps.* 143.

Iobi, omni tribunali Regio venerabilior, ea throni Regii aspectu nullum spectantibus lucrum erit, sed temporalis duntaxat delectatio, nullam habens utilitatem. Ex fimo autem Iob viso omnem quis capit utilitatem & disciplinam multam, & exhortationem ad Patientiæ rationem. Nam multi longam & transmarinam navigationem à terræ finibus abeunt in Arabiam, ut fimum illum cernant: & conspicati, terram deosculentur, quæ illius victoris certamina & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit. Neque tantum radiaret prætexta, quantum illud corpus tunc resplendebat, non alieno sed proprio lotum sanguine. Vlcera illa gemmis cariora, &c. Et brevi ex intervallo: *Neque tam splendidus in solio Rex sedens; quam insignis erat ille, & illustris in fimo.* a *&c.* Hæc Chrysostomus. Ego, quod dixi, repeto; si Iobum, Lector optime, vidisti Calamitosum: I, licet, Beatum unà etiam spectasti. Vale.

a *Chrysost. hom: 5. ad pop. initio.*

F. I N I S.

